3 1761 07143377 5

DL
146
.7
S3R4

Sign. E. y Œ. [illegible].

B. Dan. III ge. 11.

DISSERTATIO HISTORICO LITERARIA
DE
VITA ERVDITIONE ET SCRIPTIS
SAXONIS GRAMMATICI
HISTORICI DANI
PATRIAE ORNAMENTI

QVAM
SVB PRAESIDIO
IOHANNIS BENEDICTI CARPZOVII
ABBATIS MONASTERII LIBERI ET IMP. REGIOLVTERENSIS SACR. THEOLOGIAE DOCTORIS EIVSDEMQVE ET LITERAR. GRAECAR. PROF. ORD
A. D. XXVIIII APRIL. A. R. S. MDCCLXII
PVBLICO EXAMINI SVBIICIT
AVCTOR
GEORGIVS REIMER
FLENSBVRGENSIS

HELMSTADII
LITERIS VIDVAE PAVLL. DIET. SCHNORR

DL
146
.7
S3R4

LIBRARY
AUG 5 1972
UNIVERSITY OF TORONTO

VIRO

MAGNIFICO AC SVMME VENERABILI

DOMINO

ADAMO STRVENSEE

SACR. THEOLOG. DOCTORI POTENTIS. DANIAE ET NORVAG. REGI CONSILIAR. ECCLES. SVPREMO PER VNIVERSVM DVCATVM SLESVICENS. ET HOLSATIENSEM SACROR. PRAESIDI AC SVPERINTENDENTI GENERALI PRAEPOSITO GOTTORPIENSI HVSVMENSI RENDSBVRGENSI CET THEOLOGO PRIMARIO CONSVMMATIS. QVE

ET

VIRO

SVMME VENERABILI ATQVE AMPLISS

DOMINO

CHRISTI. ERNESTO LVNDIO

POTENTIS. DANIAE ET NORVAG. REGI CONSILIARIO ECCLESIASTICO PRAEPOSITO FLENSBVRGENSI ET BREDSTADIENSI CONSISTORII FLENSB SENIORI ET AD AEDEM DIV. IOHAN PASTORI PRIMAR. CET

THEOLOGO EXIMIO AC CELEBERRIMO

VIRIS

DE ECCLESIA PATRIA PEREXIMIE

MERITIS

LITERARVM SACRARVM ERVDITIONIS

AC

CIMBRIAE DOCTAE

LVMINIBVS

PATRONIS MAXIMIS

ET PIE COLENDIS

SAXONEM GRAMMATICVM

LEVES QVASDAM

CONATVVM ACADEMICORVM

PRIMITIAS

DEVOTI QVA DECET ANIMI REVERENTIA

D. D. D

TANTORVM VIRORVM

PATROCINIO CVRAE FAVORI

SE AC STVDIA SVA

COMMENDANS

GEORGIVS REIMER

FLENSBVRGENSIS

DE

VITA ERVDITIONE ET SCRIPTIS SAXONIS GRAMMATICI HISTORICI DANI PATRIAE ORNAMENTI

CONSPECTVS

I. *Inſtituti ratio.*
II. *Saxones varii.*
III. *Saxones inter Danos.*
IIII. *Pronuntiatio nominis* Saxo *caſibus obliquis.*
V. *Parentes Saxonis, et eius cognomen* Longus.
VI. *Annus natalis et aetas.*
VII. *Patria Saxonis, Dania; non Saxonia.*
VIII. *Elogium* Grammatici, *Saxoni datum.*
VIIII. *Eruditio et ſtilus Saxonis.*
X. *Honores et munerum dignitas.*
XI. *Praepoſitura Saxonis Grammatici defenſa.*
XII. *Saxonis amicitia cum Abſolone.*
XIII. *Caelibatus Saxonis et mors.*
XIIII. *Saxonis Hiſtoria Daniae, eiuſque Editiones quatuor.*
XV. *Commentatores inediti, et Verſiones.*
XVI. *Praeſtantia librorum Saxonis; et Documenta hiſtorica.*
XVII. *Vtilitas librorum Saxonis (1) in literis humanioribus.*
XVIII et XVIIII. (2) *in Hiſtoria ſacra.*
XX. (3) *in Hiſtoria literaria.*

I

Inſtituti ratio.

Saxonis, meae patriae ornamenti, grammatici, qui praeſtanti et immortali opere hiſtoriam et antiqua Danici regni fata illuſtrauit, ſuoque comparari iure poteſt cum priſcis, iiſdemque melioribus hiſtoricis; huius vitam, eruditionem, ac libros inſtaurabo. Actum equidem, vt puto, non agam, etſi doctiſſimus *Stephanius* egit idem. Meretur enim hoc ornamentum saxo, vt poſt centum ac viginti annos, a quo haec ſcripta ſunt *Prolegomena*, quaſi de nouo a mortuis reuocetur, et in hac quoque Academia Iulio Carolina, cuius mihi et grata erit et iucundiſſima ſemper memoria, magis innoteſcat. Teſtabor etiam eo ipſo, nec illa adeo aetate, quae barbara vulgo appellatur, et nec in Dania quoque tum maxime exculta, immo fera ſubinde fuit aſperaque; non defuiſſe tamen nonnunquam viros tum ingenio politos, tum eruditione artibuſque claros, qui et optime meriti de literis et ita docti fuerunt, vt cum omni vetuſtate contendere potuerint. *a*) Inde iudicium ferri poteſt de hoc praeſenti

a) Fuerunt ſintque nonnulli, qui praeiudicata opinione, periniqua certe ac inepta, capti, plagam putant ſeptentrionalem, priſcis temporibus inhabitatam fuiſſe ab homi-

ſenti literarum ſtatu in Dania, florente ſane, et qui tum laude tum gloria perenni praeſtat.

II

Saxones varii.

Non defuerunt omni aetate viri, nomine proprio SAXONVM nobiles. Nihil dicam de illo *Decidio Saxa*, legato Antonii in bello Philippenſi, cuius mentionem fecit Cicero in Orationibus Philippicis. *b*) Italis certe ac Romanis inuſitatum non fuit nomen *Saxonis*. Saeculo duodecimo SAXO floruit *Cardinalis*, *c*) qui

nibus ſaeuis, ingenio menteque ſtupidis, et ab omni literarum cultura alienis. Haec mitto ſomnia, ne caſtigatione quidem digna. Quis audeat homo ſanus oppetere tam iniuſta communi omnis aetatis experientiae? SAXONE ipſo GRAMMATICO centum fere annis antiquior fuit SAEMVNDVS FRODE, Paſtor Oddenſis, ob ſingularem eruditionem et prudentiam *Frode* dictus, quod *eruditum* et *ſapientem* indicat. Eius liber notiſſimus eſt, *Edda* dictus, quem Iſlandice, Danice, et Latine edidit Petrus Ioh. Reſenius, Hafniae, 1665. 4. Ceterum egit cauſſam huius plagae, praeter Mollerum et alios plures, Clariſſ. Büſching in Vindic. Septentr. VIIII. p. 12, in quibus iuſtam Daniae laudem tribuit, illamque *praeſtantiſſimorum artificum, et eruditorum omnis generis matrem ſatis fecundam* appellauit. Add. Reimman. Introd. in Hiſt. Lit. T. I. p. 431.

b) Orat. Philipp. XI, 5. XII, 8. Conf. Ioh. Geo. Keyſler Antiquit. Septentrion. p. 194.

c) Vid Barthol. (non Baptiſta,) Platina, vita Honorii II, p. 610.

qui Calixto P. M. defuncto, dignitate Pontificia, qua proximior quidem habebatur, excidebat tamen. Quin etiam Germanis, tum veteribus, tum noſtris, parum habetur infrequens nomen hoc. Notus eſt *Annaliſta* SAXO, a Ioh. Geo. Eccardo noſtrate in Corpore Hiſtoricor. Med. Aeui editus, *d*) qui res Germaniae vetuſtas priſcis ex monumentis enarrauit. Notus eſt *Chronographus* SAXO, Monachus, fortaſſe Magdeburgenſis, quem Leibnitius recudi curauit. Notus *Poëta* SAXO, Arnulpho Imperatori aequalis, qui de rebus geſtis Caroli M. ſcripſit; primum e Codice Guelpherbytano a Rein. Reineccio editus, deinceps alio ex Codice Academiae huius Iulio Carolinae emendatius a ſummo eodem Leibnitio recenſitus. Notiſſima ſunt noſtris etiam hodie nomina *Saxus*, *Sachſe*, *Saxius*, *Saxo*, atque plura huiuſmodi. Quis ignorat illum olidum et famigeratum *Hans Sachſe*, ſutorem vltra crepidam ſapientem? Et ne his ſordidis contaminemus nobiliora, celebris vel hodie Criticus Philologuſque claret, *Chriſtophórus Saxius*, Eppendorpio Miſnicus, Academiae Traiecti Batauorum Ordinarius Profeſſor, qui literis bonis, antiquitate Graeca et Romana, cognitione item hiſtoriarum

d) De hoc, et reliquis *Saxonibus* media aetate, conf. I. A. Fabricii, ſiue potius Chriſti. Schoettgen. Bibl. Lat. med. aet. Vol. VI, p. 425-428.

rum praeſtans, praeclari nominis *Saxonis* dignitatem implet.

III

Saxones inter Danos.

Vix autem vlli nationi crebriore fuit in vſu nomen *Saxo*, quam genti Danicae. Iam in muſcoſis illis ſaxis, quae Runicis literis caelata fuerunt, vbique in Dania reperitur. Stephanius *e*) curauit ligno incidi caſcos lapides, ex Olai Wormii Monumentis Danicis deſumtos, qui hoc idem nomen conteſtantur. Immo plurimi extant loci apud hunc noſtrum ſcriptorem, in quibus praeclarorum *Saxonum* virtus ac merita celebrantur. Sed de his omnibus iam nihil commemorabo. Neſcio enim, et valde dubito, num vnquam in Dania maius ſplendiderit lumen, eo nomine illuſtre, SAXONE illo GRAMMATICO, cuius ſcribendi ratio, ſiue dictionis elegantiam, ſiue rerum, conſiliorum, euentuum varietatem ſpectes, cum ipſis veterum Romanorum hiſtoricis conferri poteſt. *Tulit* is *omne punctum* aetate quauis, ſiquidem *vtile dulci* (quod Horatius ait,) *miſcuerit*. Etſi enim cuncta gentis cuiuſcunque, temporis, auctoris, ſi modo vera ſit, enarratio, magni

e) Prolegom. ad Saxon. Grammat. Cap. VIII, p. 10. 11.

magni ſit pretii magnaeque auctoritatis, tamen ſi orationis quoque acceſſerit decor, tanto eſt iure ſuo commendabilior, quanto lectorem inducit ſua concinnitate ad hiſtoriam firmius infigendam, et ſuauitate ſua magis detinet. Quare etiam iuſtis certatim laudibus, SAXO GRAMMATICVS, a magnis in republica literaria viris, vt Eraſmo, Bartholino, Voſſio, Ioh. Iſacio Pontano, Barthio, Conringio, Stephano Iohannis Stephanio, Erico Pontoppidano, et aliis euectus fuit. Quorum nonnulli etſi nimii fuiſſe in laudando videri poterant, negari tamen non poteſt, eum viuido ardentique ingenio, eruditione ſumma, oratione nunquam remiſſa, pura, eleganti, amoena, facultate denique poëtices Latinae parum contemnenda, eminuiſſe. Tanti, tamque eminentis viri memoriam, quantum equidem ſciam poteroque, breui hac commentatione inſtaurabo.

IIII

Pronuntiatio nominis Saxo *caſibus obliquis.*

Obiter moneo, ne quis erret, ſyllabam mediam *nominis proprii* produci in obliquis cunctis; quum *Saxo*, vbi eſt *gentilitium*, penultimam plerumque corripiat. *f*) Stephanius affert Willichii Weſthouenii, Poëtae

f) Fruſtra hanc Obſeruationem quaeris in Melanthonis, Er. Schmidii, et Franc. Sanctii Proſodiis ac Minerua.

tae Dani elegantis, Epigramma in Olonem Noricum:

> Saxōnis *libros*, (*qui te compellat Olonem*,)
> *Correpto hiſtoriam* Saxŏnis *ore vocas.*
> *Nominis at maribus proprii, cui terminus O eſt,*
> *Flexibus obliquis*, (*dummodo creſcat iis*,)
> *Syllaba perpetuo longa eſt penultima; teſtes*
> *Varro, Cato, Cicero, Scipio, Naſo, Maro.*

Et ne quid diffitear, ſcriptores quidam mediae aetatis nomen adeo gentilitium *Saxonis*, (id eſt, illius, qui e *gente Saxonica* ortus eſt,) etiam produxerunt media. Sic Hroſuuitha Poëtria, *g*) Ganderſhemenſis religioſa, cuius Opera Henr. Leonard. Schurzfleiſchius edidit, ſub initium hiſtoriae ſuae de rebus geſtis Othonis Magni:

> *Ad claram gentem* Saxonum (*nomen habentem*
> *A* ſaxo, *per duritiem mentis bene firmam.*)

Similiter nomen gentilitium media producta vſurpauit *Poëta*, vel nomine proprio (ita quidem mihi videtur, *h*)) vel gente SAXO, quem Rein. Reineccius noſter, et denique Leibnitius ex MSC. Academiae Iulio Carolinae ediderunt:

> *Quum nimium ſuſpecta foret gens facta rebellis*
> Saxonum *toties.*

V. Iam

g) Hroſuuitha Panegyr. Oddon. p. 176.

h) Lib. III. de geſt. Karoli M. ad An. Chr. DCCXCV.

V

Parentes Saxonis, et eius cognomen Longus.

Iam de parentibus quidem SAXONIS nihil, quod ſciam, accurate fuit in literas relatum, ſparſim hinc inde quaedam adducuntur. Id certo conſtat, teſte ipſo *Saxone*, eos militiam caſtrenſem ſequutos fuiſſe. Grammaticus noſter in Praefatione luculenta ad Andream Sunonis, Archiepiſcopum Lundenſem, patrem, ait, et auum ſuum, virtute bellica inclitos, ſtipendia meruiſſe ſub Woldemaro I, Daniae Rege. Ita enim compellat Woldemarum II: *i*) *Ceterum priſco, atque hereditario obſequendi iure, ſaltem ingenii viribus tibi militare conſtitui, cuius clariſſimi Patris* CASTRENSEM MILITIAM PARENS AVVSQVE MEVS *fidiſſimis bellici laboris operibus coluiſſe noſcuntur.* Videntur parentes Saxonis non ignobili ſanguine fuiſſe orti, ſiquidem iſta potiſſimum aetate militiam Principum non ſequerentur, niſi ſtemmate proſati claro ingenuoque. *k*) Sunt qui tradunt, Saxonem proſapiam duxiſſe ex vetuſta

i) Praefat. p. 2. prope fin. ed. Stephan.

k) Antiquitus nulli milites, niſi ſumma neceſſitate vrgente, legebantur ex claſſe infima ciuium, ſed tenuiores ſeruabantur ad naues. Hoc fiebat eo conſilio, vt eoſdem quos res priuatae, etiam publicae commodis patriae alligarent. Conf. Matth. Praetorius in Marte Gothico, ſeu de milit. vet. Gothorum. (Oliuae, 1691.) p. 15.

tuſta olim et nobili apud Danos familia LANGIORVM, quam patrio nomine De Langerß appellabant. *Incertus* eſt *Auctor Chronici Danorum, et praecipue Selandiae*, quod ſub finem ſaeculi ſuperioris Arnas Magnaeus, Danus, ex MSCto vetuſto edidit; is *Saxonem, cognomine* LONGVM, *mirae eloquentiae Clericum l*) appellauit. Huius Codicis Hafnienſis auctoritate freti, Claudius Lyſchander, *m*) Ionas Venuſinus, *n*) ipſeque Ioh. Iſacius Pontanus, *o*) Hiſtorici omnes Regii, Grammaticum noſtrum *Saxonem Longum* cognominant, et ex *Langiorum* putant ſtirpe oriundum fuiſſe. Si dicendum tamen quod res eſt, equidem non putauerim, illud cognomen *familiae* eſſe; ob *ſtaturam*, SAXONEM fuiſſe *longum* cognominatum, veroſimilius fit. *p*) Quibus enim nitantur documentis viri praeclari, Lyſchander, Venuſinus, Pontanus, ad obtinendam ſuam ſententiam, ſilentio premunt. Nec Stephanius *q*) audet, reuerentiae (puto) cauſſa erga illuſtrem tum familiam *Langiorum*, litem dirimere.

VI Vi-

l) Arnas Magnaeus *Chronicum Selandiae* ab An. 1028. ad 1282. ex Cod. Hafnienſi edidit Lipſiae, 1695, 8. Id confer pag. 10.

m) Praefat. Operi Genealog. Reg. Daniae praefixa.

n) Diſſ. de Fabula, quae pro Hiſtoria venit, Th. 74.

o) Chorograph. regni Daniae p. 723.

p) In eadem ſententia eſt Schoettgen Bibl. Lat. Med. aet. p. 423.

q) Proleg. Cap. VII, p. 9.

VI

Annus natalis et aetas.

Vixiſſe Saxonem Grammaticum ſaeculo duodecimo, omnino conſtat. At quo anno excluſus fuerit in dias auras, neſcitur. Anno certe ſalutis recuperatae MCL, vel vt alii volunt, MCLVI, *floruit r*) iamiam. Hoc inde patet, quod celebris illius Epiſcopi Roſchildenſis, *Aſceri*, ſepulturam, SVIS demum factam TEMPORIBVS *ſ*) memoriae prodidit. Obiit autem, quod teſtantur Annales, Aſcerus, quinquageſimo, ſexto certe anno et quinquageſimo ſaeculi duodecimi. Deinceps poſt *Aſcerum*, *Abſolon* fuit electus, qui res Danicas in hiſtoriam conferendi auctor Saxoni et ſuaſor extitit. Atque hinc luculenta emergunt teſtimonia de aetate Saxonis, vt qui vixerit tum, quum Aſcero fatis functo Abſoloni Epiſcopatus Roſchildenſis decerneretur. Praeter haec, *Auctor* ille *incertus Chronici Selandiae* quod Magnaeus edidit, legationem refert *t*) Saxonis in

r) *Florere* dicuntur ſcriptores, quum libros edunt non improbabiles. *Florere* enim non eſt *naſci*. Huius obſeruationis patebit vſus §. XI, vbi quaedam contra Sperlingium.

ſ) Lib. XI. Hiſt. Dan. p. 215. l. 54.

t) Hoc anno coepit Abſolon *Epiſcopatum* Roſchildenſem adminiſtrare; a quo eodem, Saxo, virtutis et eruditionis cauſſa, *Praepoſitura* Eccleſiae donatus erat. Vid. Stephan. Proleg. c. XIII., p. 21.

in Galliam, anno Chriſti MCLXI contigiſſe. Tandem ipſe Saxo, non paucis ſuae hiſtoriae in locis, tempora reſtringit ſua ad *Woldemari I*, et filii eius *Canuti*, Regum Daniae, imperium. Rerum potiti ſunt Reges ambo ab anno inde ſeptuageſimo ſaeculi duodecimi, et deinceps. In hiſtoria Suenonis *u*) meminit Woldemari, *ſua aetate regnantis.* In alio libro, *x*) *ſui temporis Regem* nominauit. Ait: *Eidem poſtmodum* (Woldemaro, Rutenorum Regi,) NOSTRI TEMPORIS DVX, (Woldemarum I. intelligit,) *vt ſanguinis, ita et nominis heres, ex filia nepos obuenit.*

VII

Patria Saxonis, Dania; non Saxonia.

Gente *Danum* ſe eſſe, multis Saxo in locis hiſtoriae ſuae profeſſus eſt. Etenim gentem Danorum *gentem ſuam*, Daniam *patriam ſuam*, Reges Daniae *Reges noſtros y*) dixit. Conſtans eſt vno prope ore fama, Annalibus Daniae antiquis ſtabilita, *Selandiam*, ſiue vt veteres pronuntiabant *Sialandiam*, inſulam amoenitate et pulchritudine praeſtantem, hodieque ſede Regia illuſtrem, patriam Grammatico contigiſſe. Omnes cer-

te

u) Lib. X. p. 187 lin. 1.
x) Lib. XI. p. 207. l. 43.
y) Conf. Stephan. Proleg. Cap. X, p. 14.

te editiones Hiſtoriae Saxonis *Sialandicum* appellarunt noſtrum, a patria. Quibus ſuffragatur Ioh. Suaningius, z) Senior, Hiſtoricus Regius, pugnans aduerſus eos paucos, qui *Cimbrum* fuiſſe Saxonem male tradiderunt. Quae item cauſſa fuit, quare doctiſſimus Vir, Ioh. Mollerus, cuius merita in *Cimbriam literatam* ſunt eximia, nullam tamen Saxonis mentionem fecit in Opere aetatem laturo; certe non facturus, ſi his in terris, quarum ornamenta recenſuit, decus tantum effulſiſſet. Solent quidem non raro de patriis hominum clarorum, *a*) vrbes, quin et nationes adeo integrae, contendere. Magna vrbium ſeptem olim lis fuit, quis neſcit? de patria Homeri, quarum quaeuis, poëtam hunc eſſe *ſuum*, vindicare ſibi ſtuduit. Quodſi vero de patria alicuius viri magni conſtat certo, inique ſane, non dicam ſtulte faciunt, qui munera quaedam fortunae ac fatorum, quae in nullius niſi Dei ſolius ſunt poteſtate,

x) In Prolegom. MSS. ad *Saxonem illuſtratum.* Hoc Manuſcripto, vt et aliis, vſus eſt Stephanius l. c. Suaningius ad *antiquos Daniae Annales* prouocat. Recte. Nam, Saxonem fuiſſe *Cimbrum*, id vulgaris ſaltem hominum indoctorum opinio fuit. Add. Ioh. Iſacii Pontani Chorogr. Dan. p. 724.

a) Conf. eruditus, hoc genere vnicus, et a Th. de Pinedo in editione Steph. Byz. ſaepe laudatus, Ioh. Andreae Quenſtedii liber, *de patriis illuſtr. doctrina et ſcriptis viror.* (Viteb. 1691.) Quenſtedius, Theologus eruditiſſimus, de patria Saxonis, breuiter quidem, ſed pulchre et vere egit p. 248.

te, aliis ereptum eant. Quare nemini ſapientium ſe probabit inuidia nonnullorum, *b*) qui, vt gloriam huius Viri eriperent Danis, hunc noſtrum *Iohannem de Saxonia* nominarunt, ne in Dania fuiſſe, ſed in Saxonia inter Germanos, natus videatur.

VIII

Elogium Grammatici *Saxoni datum.*

Adſcriptum legitur Saxoni in omni antiquitate cognomen, ſiue elogium potius, *Grammatici.* Eo nomine media aetate vocati fuerunt omnes hi, *c*) erant qui aliis doctiores. Dan. Heinſius, Vir et ipſe γραμματικώτατος, in Prolegomenis ad Ariſtarchum Sacrum, ſtatuit, *d*) Saxonem ſibi ipſi dediſſe eum titulum, et *dici ſe voluiſſe Saxonem Grammaticum.* Stephanius autem *e*) non videtur admittere hanc ſententiam. Ille negat, hiſtoricum noſtrum ex *arrogantia* quadam, aut *ſtudio ſibi ipſi indul-*

b) Inprimis *Ioh. Magni Gothi*, Archiepiſc. Vpſalienſis. Huius calumnias deterſit peculiari *Apologia*, Petrus Paruus Roſefontanus, Eques, et Eloq. in Hafn. Profeſſor. Conf. Sibbern Bibl. Hiſtor. Dan. Noru. p. 170. ſeq.

c) Pertinet huc inſtar omnium Ioh. a Wouuer de Polymathia, quem non deſcribam. Add. praeter S. R. Walchium Hiſt. Crit. Ling. Lat. et Clericum in arte Crit. p. 1, I. A. Erneſti Diſſ. qua philoſophia perfectae Grammat. aſſeritur. (Lipſ. 1732.)

d) Pag. 649. (edit. Elzeu. in fol.)

e) Prolegom. Cap. VIIII, p. 12.

indulgendi, hoc tale nomen ſibi impoſuiſſe. Deducit potius a more librariorum aut deſcriptorum illius temporis, vt qui vel profeſſionis, vel vitae, morum, aut generis notandi cauſſa, conſueuiſſent auctoribus quaedam cognomina apponere. Haec exceptio non eſt quidem momenti nullius. Sane, vt nihil de antiquis hominibus, nihil de *Plauto*, *Petronio*, *Perſio*, et aliis, qui huiuſmodi nomina tulerint, repetam; ſic praeſtans ille poëta, PRVDENTIVS, a deſcriptoribus priſcis *Amoenus f*) cognominatus eſt, quia Chriſtianos Poëtas amoenitate Lyricorum carminum ſuperauit. Sic APOLLINARIS SIDONIVS, a vita et moribus, *Modeſti* nomen *g*) a librariis reportauit. Denique RADVLPHVS, Aquitaniae Ducis Concionator, propter eloquentiam et in dicendo vim, titulo *Ardentis h*) inſignitus eſt. Eodem modo, putat Stephanius, a librariis, quoties exempla Hiſto-

f) Conf. Barthii Aduerſar. VIII, II. Corrigendus eſt error Geo. Fabricii, qui in Corpore Poëtar. Vet. Eccleſ. a p. 747.-754, auctori AMOENO tribuit *Enchiridion V. et N. T. Amoenus* cognomen eſt ſiue elogium Prudentii, non nomen proprium alius ſcriptoris. In editione praeſtanti Weiziana, Prudentio recte datur Enchiridion hoc.

g) In Epitaph. Sidonii, quod edidit Scaliger de Emend. temp. lib. VI, p. 614 dicitur: *C. Sollius Apollinaris* MODESTVS *Sidonius.*

h) Conf. *vita Radulphi*, quae ducit principia eiuſdem Homiliar. in Epiſt. et Euang. (ed. Antu. 1576, 8) Floruit Radulphus ſub finem ſaeculi XI.

ſtoriae Danicae deſcripſiſſent, Saxonem, propter eruditionem, et in artibus ac ſtudiis humanitatis, hiſtoriaque priſca et ſui aeui peritiam, cognomento *Grammatici* exornatum fuiſſe. Non equidem pertinacius contendam aduerſus haec. Id ſaltem dicam, Heinſii coniecturam parum tamen videri ineptam, nec *ſuperbiae* inde culpabilem Saxonem reddi, ſi *ſeipſum dixit Grammaticum*. Sua voluit auctoritate, ſuo exemplo, reſtituere dignitatem priſcam nominis praeclari; quod, teſte Suetonio, *i*) non tam *literatorem*, hoc eſt *literionem*, qui literas docet primas pueros, (vt forte Dani putabant tum,) magiſtrum diobolarem, indicat; ſed Exegetam, Hiſtoricum, Criticum, Antiquarium, verbo eum, qui oratores poëtaſque antiquos, Graecos, Latinos, interpretatur; hiſtoricos praeſtantiores animo comprehendit; opera probabilium auctorum cenſet, et emendat; genuina quae ſint, quae ſpuria, diiudicat; denique ipſe non contemnendam digne ſcribendi habilitatem obtinuit. *k*) Saxonis, vt mihi videtur, exemplo incitatus, PAPIAS, patria Longobardus, ſub finem ſaeculi eiuſdem duodecimi, ſe *Grammaticum l*) dixit: nomen

Voca-

i) De illuſtr. Grammat. Cap. IIII.

k) Haec omnia in Saxone fulſerunt ita, vt in ſingulis eminuiſſe videatur.

l) Obiter addo. *Papiae Lexicon* editum eſt Mediolani, et Venetiis. Sed raro occurrit. Praeter Codices, Aquicinctenſem et Leidenſem, de

Vocabuliſtae tulit ab aliis. *m)*

VIIII

Eruditio et ſtilus Saxonis.

Nec immerito tribuitur Saxoni laus *grammaticae*, hoc eſt eruditionis, his temporibus miranda, omninoque ſingularis. Quum a primis inde annis adoleſcentiae, indole et ingenio ſollerti, tum acumine et iudicio eminuiſſet, diligenter dedit operam, has dotes amore literarum, induſtria, et aſſiduitate perficiendi. Praecipue ei iucundum fuit, vetuſta patriae ſuae monumenta excutere, quorum ſtrenuus adeo indagator fuit, vt nihil eius ardorem extingueret. Legit ſedulo carmina priſcorum poëtarum Iſlandiae, et monumenta hiſtorica Iſlandorum, e quibus curatam *n)* antiquitatum Daniae

quibus Oudinus expoſuit T. II, p. 621. extat alius *Codex MSC. membranaceus* apud Reuerend. Dn Abbatem, Doctorem meum, et Praeſidem huius diſſertationis.

m) Nomen *Grammatici*, parum contemtum eſſe, vel id documento eſt, quod praeſtantibus ICtis non diſplicuit, melioribus illis, Bartoliſtis, vnice Gloſſam ſequentibus; quicquid aurea obuertat praxis. Meliorum numero inſerendus eſt *Thomas Grammaticus*, Nobilis Neapolitanus, ICtus, qui *Conſilia et Vota*, hoc eſt Reſponſa Iuris; item Deciſiones Concilii Neapolit. edidit. In hiſtoria Byzantina occurrunt duo *Leones Grammatici.*

n) Magno habenda pretio ſunt monumenta Iſlandorum antiqua, vt praeclare docuit Th. Bartholin. Antiq. Dan. I, 11. Etſi enim Leibnitius, in Epiſtola, *Nouis Literar. maris Baltici* An 1699, p. 145 inſerta; vna cum aliis, ſtuduit fidem eorum infringere: tamen ſolide contra di-

niae notitiam hauſit. Legit Inſcriptiones veteres, in ſaxis, cippis, et rupibus repertas. Denique carmina patrii ſermonis, ab antiquioribus Danis compoſita, excuſſit. Studuit autem hiſtoriae patriae, praecipue quum vidiſſet, omnibus nationibus, praeter Danicam, obtigiſſe ſcriptores, *o*) qui res geſtas earum perpetuitati commendaſſent. Hoc ſtudio profecit tantopere, vt inter homines claros, non ſuae tam gentis, quam orbis adeo totius, immortale nomen adeptus ſit. Excitatus vi magna, contendit ea via, praeter quam nemo venit ad eruditionem ſolidam. Veterum Graecorum, tum Romanorum exemplaria, *nocturna* (vt Horatius ait,) *diurna manu verſauit*, inde elegantiam gratam, ſplendorem, concinnitatem petens. Praecipue videtur ſcriptores duos diligenter legiſſe, ad quorum ſe dictionem (in quantum illa accedit ad optimos auctores,) nonnunquam conformauit: *Valerium Maximum*, cuius formulas quaſdam loquendi et argutias imitatus eſt; et *Martianum Capellam*, a quo ſaltem voces quaſdam hau-

xit Otto Sperlingius, in Epiſtola alia, *iiſdem Nouis Literar*. p. 365 inſerta. Add. Holberg. Hiſt. Stat. Regn. Dan. T. I, p. 177. et Ioh. Erici, Iſlandus, libro infra laudando.

o) Id ſibi volunt verba Saxonis ſub initium Praefationis: *Quum ceterae nationes rerum ſuarum titulis gloriari, voluptatemque ex maiorum recordatione percipere ſoleant*; cet.

hauſit rariores ſingulareſque in deſcriptionibus locorum atque terrarum. *p*) Exempla quae id teſtantur, luculenta Stephanius, *q*) et Ioh. Adolphus Stuue *r*) dederunt, ita vt dubitari non poſſit. Quo et ipſo more imitandi, parum receſſit a ſcriptoribus vetuſtis optimis. Etenim LIVIVS non modo ſententias integras, ſed etiam longam rerum geſtarum ſeriem, iiſdem *Polybii* verbis ſaepe enarrauit. MACROBIVS autem totas paginas ex *Gellio* tranſtulit in opus ſuum.

X

Honores et munerum dignitas.

Saxo autem non vnice peritia hiſtoriarum venuſtaque eminuit eloquentia, ſed rebus etiam in ſacris et doctri-

p) Si dicuntur apud Saxonem Grammaticum occurrere dictiones et phraſes quaedam *Valerii Maximi* et *Martiani Capellae*, non id intelligitur, quaſi imitatus fuerit Saxo ſtilum ipſorum. Nam ſcriptor vterque hic, a puritate et candore Latini ſermonis ſaepe recedit; Saxo vero Latinius longe et elegantius ſcripſit, vtroque ſcriptore hoc. Sed mens eo redit: Ex *Valerio Maximo* hauſit breuitatem narrationis, acumen ſententiarum, rerum varietatem, ac prudentiam hiſtoricam. Ex *Martiano Capella* ſaltem voces aliquot rariores in deſcriptione chorographica. Ego quidem putarem, ſtilum Saxonis accedere ad illum *Curtii* et *Pomponii Melae*.

q) In Prolegom. Cap. XVIII et XVIIII.

r) Diſſ. de caſtitate Hiſt. Danicae, et puritate Linguae Latinae in Saxone Grammat. contra Ioh. Gorop. Becanum, Hafniae 1702, 4.

doctrina theologica laudem videtur parum tenuem retuliſſe. Cuius documentum praebet dexteritatis, quod teſte Andr. Olao Rhyzelio, *ſ*) Epiſcopo Lincopienſi, primum *in Lundenſi Epiſcopatu* (Danico olim, hodie Suecico,) *Capitularis*; denique *Cathedralis Eccleſiae Roſchildenſis Praepoſitus* factus fuit. Hanc vltimam eius dignitatem luculente teſtantur *tria Diplomata* Regis Daniae *Canuti*, item *Abſolonis*, Archiepiſcopi Lundenſis et item Epiſcopi Roſchildenſis, quibus Saxo nomen ſubſcripſit ſuum, addito honore: *Roſkildenſis Eccleſiae Praepoſitus.* Stephanius *t*) magno ſtudio deſcripſit Diplomata haec e Cod. quodam MSC. antiquae et probae notae, cuius hic fuit index: *Haec ſunt Reſcripta Priuilegiorum S. Othonienſis Eccleſiae*, *quae de ſua dignitate*, *et libertate*, *ante incendium habuit.* Cauſſam equidem non video vllam, quare de veritate fideque horum Codicillorum atque literarum ſubdubitemus. Certe Ludouicus L. B. de Holberg *u*) agnoſcit earum fidem, nec haeret. Noſtra iam non permittit breuitas, haec Diplomata deſcribere: apud Stephanium legi debent. Accedunt alia duo teſtimonia, fidei et ipſa indubitatae, ab Hiſtoriographo eodem

ſ) In Epiſcopoſcopia Suiogoth. T. II, Lib. 8. (Lincöping. 1752.) Conf. Baumgarten Nachricht. v. merckw. Büch. T. V. p. 267.

t) Prolegom. Cap. XI, p. 15 fin.

u) Däniſche Reichs Hiſtorie, T. I, p. 275. lit. (s)

dem Dano, Stephanio, *x*) e priſcis Codicibus MSS. in Tabulariis Hafnienſibus excerpta, quae eo conueniunt, miſſum anno Domini MCLXI. ab *Abſolone*, *Epiſcopo* tum vnice *Roſchildenſi*, fuiſſe *Saxonem*, ROSCHILDENSEM PRAEPOSITVM, Pariſios, vt aliquot inde Monachos in Daniam euocaret.

XI

Praepoſitura Saxonis Grammatici defenſa.

Sacram hanc dignitatem Saxoni ereptam iuit, et cauſſam Stephanii, quae tamen omnes notas fidei hiſtoricae prae ſe fert, conſentienteſque habet ſcriptores optimos, infringere ſtuduit OTTO SPERLINGIVS, vir de hiſtoria ceterum antiquitateque Daniae praeclare meritus. Hic, edito *Abſolonis Teſtamento*, *y*) negauit in Annotationibus, Saxonem Grammaticum vnquam Praepoſitum Roſchildenſem fuiſſe, idque his tribus potiſſimum de cauſſis: *Primo*, ait, Stephanium affirmaſſe, Grammaticum *natum fuiſſe* anno Chriſti MCL; quem, *vndecim* annos prouectum, anno MCLXI, Praepoſitum eſſe nondum potuiſſe. *Deinceps*, in Teſtamento Abſolonis alium Praepoſitum adduci, nomine *Tocbonem*. *Denique*

x) Loc. cit.

y) *Teſtamentum Abſolonis*, ex MSC. Haraldi Huitfeldi, primus edidit, et Notis illuſtrauit An. 1696 Otto Sperlingius. Ob raritatem inſeruit Teſtamentum hoc (ſed ſine Notis,) Annalibus Eccleſ. Dan.

que Saxonem noſtrum nominari *Clericum Abſolonis.* Id nomen Sperlingius interpretatur *Scribam*, *Secretarium*, ſiue a commentariis, epiſtolis, manu Archiepiſcopi; putans, haec omnia in Praepoſitum, ordinis maioris virum, non conuenire. Sperlingius, doctus Antiquarius, eandem in ſententiam pertraxit viros magnos quorum nominibus parco, et, vt ſit, Chriſti. Schoettgenium. z)

Equidem, ſalua in viros celebres pietate, putauerim, potiores partes Stephanio, *a)* Pontano, *b)* Holbergio, *c)* reliquis, ea re tribuendas eſſe. *Diplomata* enim etſi nomini Saxonis adſcriptum non habent elogium *Grammatici*, tamen hoc eo minus obeſt probationi, quo magis cetera adiuncta, tempus, aera, et reliqui ſubſcriptores, ipſe Epiſcopus Roſchildenſis Abſolon, Miniſtri Regii, nec non Epiſcopi, Abbates, Praepoſiti, ad vnum omnes, aetati *Saxonis Grammatici* conueniunt. Praeterea rationes, a Sperlingio adductae, rem non conficiunt. *Primo*, Stephanius nuſquam affirmauit, Saxonem Grammaticum *natum fuiſſe* anno ſalutis MCL;

Diplom. Ericus Pontoppidanus, T. I, p. 299-303.

z) Biblioth. Lat. med. aet. Vol. VI, p. 423.

a) Proleg. Cap. XI, p. 15-18.

b) Hiſt. rerum Danic. Lib. VI, p. 293.

c) Dän. Reichs Hiſt. T. I, p. 275.

MCL; *vixiſſe*, *floruiſſe* hoc anno et ſequentibus, *d)* id quidem dixit. *Porro*, quod attinet ad *Tochonem* qui in Teſtamento Abſolonis nominatur *Praepoſitus*, is non Praepoſitus *Roſchildenſis* fuit, ſed Monaſterii *Sorenſis*, *e)* ab Abſolone fundati, auunculus ipſe Abſolonis. *Tandem* ſi Saxo nominatur *Clericus Abſolonis*; phraſis haec eccleſiaſtica, auctore I. A. Schmidio *f)* noſtrate, indicat non tam Secretarium aut Scribam, quam *Praepoſitum*, ordinis etiam maioris virum, tamen Epiſcopo ſuo, vt *Saxo Abſoloni*; (*Praepoſitus*, *Epiſcopo* Roſchildenſi;) obedientem vel ſubordinatum. *g)* Fac autem, vt putat Sperlingius, *Clericum Archiepiſcopi* eſſe *Scribam eius*, (quod quidem non arbitror;) tamen haut certe video, quare Praepoſito, maioris ordinis viro, officium *Scribae Archiepiſcopalis* parum conueniat. Nam qui a commentariis eſt Archiepiſcopi, non magis officio tenui fungitur, quam Princeps aliquis Cardinalis, qui a com-

d) Proleg. toto Capite XIII, p. 20. 21. Add. quae ſupra diximus ad §. VI, lit. *r*.

e) Verba Teſtamenti ſunt haec: *Ven. Dn. Abſolon ------ ad hoc vocatis et praeſentibus Dno. Eberno fratre ſuo, et Dn. Gaufrido* ABBATE DE SORA, *et Tochone* PRAEPOSITO, *et Magiſtro Iohanne Capellano ſuo*, cet. Tocho vocatur *Praepoſitus*, nimirum vt verba proxima indicant, *de Sora*, non *Roſchildenſis*.

f) Lexic. Eccleſiaſt. min. p. 153 voc. *Clerici*.

g) Si coniecturae detur locus, putauerim equidem, verba haec Teſtamenti, *Saxoni*, *Clerico* SVO, Abſolonis amorem in Grammaticum indicare. Conf. §. XII.

commentariis Supremi Romanorum Pontificis eſt. Sane, in Diplomate Abſolonis *b*) inter medios ſubſcriptores occurrit *Iohannes*, NOTARIVS *Archiepiſcopi Abſolonis. Notarius* vocatur Iohannes hic, id eſt *Scriba*, *Secretarius*. (non quidem *Clericus*.) Atqui *Notarius* is inter ipſos Abbates et Praelatos comparet.

XII

Saxonis amicitia cum Abſolone.

Saxonem intime amauit, et in rebus magni momenti conſuluit ABSALON, *i*) (ſiue *Abſolon*,) cuius iam ſaepe mentionem feci. Heros fuit, apud Danos exiſtimatione, dignitate, auctoritate maximus, dextera Regis, fautor aeſtimatorque ingeniorum; ceterum fortis, pius, modeſtus, beneficus, immortaliter meritus de patria, cuius memoriam omnes excipient anni conſequentes. Cognomen eius fuiſſe HVIDE, (*Abſolon Huide*,) et gentem nobilem Daniae De Huiders ei cognatam

b) *In hoc Diplomate* ABSOLON Archiepiſcopus, ad exemplum Woldemari et Canuti, Daniae Regum, *Priuilegia Eccleſiae Othonienſis confirmauit.* Id lege apud Stephanium, Prolegom. Cap. XI, p. 17. 18. Idem Diploma, etiam Saxonis, Praepoſiti Roſchildenſis, nomen ſubſcriptum habet.

i) Eius verum nomen fuit *Axel*, non *Abſolon*. Sed ordo Clericorum, et Saxo Grammaticus, immo ipſe Archiepiſcopus ſeſe *Abſolonem* nominauit. Conf. Sperling. Not. ad Teſtam. Abſol. p. 34.

tam eſſe, plerique putant. dubitat tamen Summe Ven. Eric. Pontoppidanus. *k*) Is, Woldemaro I, Regi Daniae, acceptus et gratus, educatus in aula, et literis humanioribus innutritus, primo militiae regiae interfuit; mox tricenarius, *Aſcero* defuncto, Roſchildenſis Epiſcopus factus, Abbatiam *Sorenſem* amplis diuitiis dotauit. Viginti annis poſt, ad eminentem *Archiepiſcopi Lundenſis*, et *Sueciae Primatis* dignitatem euectus, pietate, virtute, ſapientia praeſtans, obiit Sorae, anno Chriſti MCCI, aetatis ſuae tertio ſeptuageſimo. Dignus omnino eſſet vir magnificus, cuius vita et res geſtae a generoſo Dano, patriam amante, data opera deſcriberentur. *l*) Abſolon igitur, praeter *Suenonem Aggonis*, *m*) Hiſtoricum gentis Danicae primum, admiſit quo-

k) Annal. Eccleſ. Dan. Diplomat. Saec. XII, lib. 3. c. 2, p. 287.

l) Multa de Abſolone, hinc inde diſperſa, legi, praeter Adamum Bremenſem, Helmoldum, et Saxonem Grammaticum, poſſunt apud Harald. Huitfeld, Ioh. Iſac. Pontanum, Phil. Cypraeum, in Chronicis et Hiſtoriis Daniae. Elogia Abſolonis occurunt apud Laur. Surium, Vit. Sanctor. T. II. *ad diem VI. Aprilis*. Genealogiam Abſolonis expoſuit Ioach. Wieland Tabula Ciſtercienſ. Sorana, Hafn. 1712, 8.

m) *Sueno*, *Aggonis* ſeu *Aggaei* filius, vir prudentiae ſingularis, et, vt erant illa tempora, egregie diſertus, Capitularis Roſchildenſis, Saxonis Grammatici contubernalis: diſpar quidem ingenio, doctrina, eruditione, ſtilo Saxonis. Is hortatu Abſolonis *Hiſtoriam* ſcripſit *Regum Daniae*; rudimenta eorum, quae Saxo Grammaticus exornauit longe eruditius. Steph. Iohannis Stephanius ſcriptorem hunc

quoque in amicitiam *Saxonem Grammaticum*; propter eruditionem, ingenium, prudentiam, et in rebus gerendis dexteritatem, raras iſta aetate dotes, ſibi egregie dilectum. Hunc *Comitem* eſſe, hunc *Clericum* SVVM, *n*) (id eſt, prae reliquis *ſibi amatum*,) voluit. Hunc, quantum fieri poterat per alia Saxonis negotia in Monaſterio Roſchildenſi, ſuo ipſe in contubernio Lundenſi detinuit. Ad res graues et negotia ardua adhibuit eum, miſitque anno primo ſexageſimo, quum adhuc Roſchildiae eſſet, in Galliam, vt Lutetiis Pariſiorum ex Collegio S. Genouefae, D. Guilielmum Abbatem, cum aliis Fratribus tribus arceſſeret; *o*) quas partes Saxo magna cum laude ſuſtinuit, perfecitque. Auctor praeterea ei ſuaſorque fuit, vt opus aeternum ſuum, de quo mox pluribus dicetur, conſcriberet, monumenta et libros ſuppeditauit, ſuaque ipſe eruditione, ſcientia, narratione et monitis iuuit. *p*)

XIII

ex vetuſto Cod. MSC. membranaceo Hafnienſi primus edidit, Notiſque hiſtoricis et philologicis, (eodem modo ac Saxonem Grammaticum,) illuſtrauit Sorae, 1642. 8.

n) Conf. Stephanii Prolegom. Cap. XII, p. 19. Adde quae diximus ad §. XI, pag. XXII.

o) Vid. *Vita S. Vilelmi*, Abbatis D. Thomae in Dioeceſi Roſchildenſi: item, *Codex quidam MStus* in Biblioth. Hafnienſi. Vtrinque (teſte Stephanio,) hiſtoria haec enarratur. Add. Pontani Hiſt. rer. Dan. Lib. VI, p. 264.

p) Legatur Praefatio Saxonis Grammatici ad Hiſtor. ſuam.

XIII

Caelibatus Saxonis, et mors.

In coniugio vixiſſe Saxonem Praepoſitum, et liberos in eo procreaſſe, veriſimile non fit. Stabilitum erat, iam ante centum et plures annos in Dania quoque, decretum GREGORII VII, alias HILDEBRANDI, *q*) ne ſacerdotes vxores ducerent, qui vero haberent, aut eas, aut ſacerdotium dimitterent. Quantas quidem tum turbas ea lex, quantaſque ſeditiones dederit in Germania, Anglia, Gallia, et vbique, id non pertinet huc. At ſaeculo vno integro praeterlapſo, quum nemo fuiſſet inter Reges Europaeos, qui ſe vxoribus ſacerdotum patronum praebuiſſet, mentes ſacerdotum ſedatae, *ſacramento* illo eccleſiae carebant, vitam caelibem ducebant omnes, nec feminas ſibi matrimonio iungebant. Igitur erraſſe videtur illuſtris Haraldus Huitfeldius, *r*) ſcriptor quidem primarius, et de hiſtoria patriae

q) Hiſtoriam decreti Hildebrandini et contentionem ſuper eo, enarrauit eleganter Ioh. Laur. Moſhem. Inſtit. H. E. antiq. et rec. (Helmſt. 1755. 4.) P. II. c. 2, p. 404 - 407

r) Huius Cancellarii Danici liber, (*Dannemarkis Rigis Krönicke, ved Arrild Huitfeld til Oderſberg. Kiöben haffen.* Editio ſecunda prodiit 1652, 2 Voll. fol.) liber eſt ſuo in genere claſſicus, et fons Hiſtoriae Danicae. *Saxo Grammaticus*, paginis CX in compendium redactus: et a *Canuto* inde *VI* vſque ad *Chriſtianum III* continuatus. Illuſtris Huitfeldius de gemina Saxonis prole exponit ad An. 1222, *Parte I, p. 58* item *p. 112*, et locis aliis.

triae, continuato Saxone Grammatico, praeclare meritus. Is monumentis, neſcio quibus, edoctus, Saxoni Grammatico tribuit filios duo; *Petrum*, Praepoſitum Lundenſem, virum literatum ac ſapientem; et *Septimium*, (ſiue *Siffvendam*,) Canonicum Roſchildenſem. Illuſtris quidem vir, Ericus Pontoppidanus, putat in Annalib. Eccleſ. Danicae, *ſ*) conciliari haec ita poſſe, ſi Saxo non *Clericus* fuiſſe, ſed *a commentariis Archiepiſcopi* dicatur. Et ſane id recte quidem, ſi iſtud eſſet. Sed quia vetera monumenta vetant nos dubitare de ſacerdotio Saxonis, iuuat cum Stephanio *t*) et Holbergio *u*) fateri, aut alius cuiuſdam *Saxonis*, non Grammatici noſtri; aut forte *Sunonis* (fratris *Andreae*, cui Saxo Hiſtoriam inſcripſit,) eos filios fuiſſe.

Denique Saxo, hoc ornamentum Daniae et literarum, fatis conceſſit (iuxta accuratiores Chronographos, *x*)) anno Chriſti MCCIIII, ſeptuagenario quidem (vti videtur,) maior, ſed vita dignus, ſi fieri potuiſſet, diuturna. Exuuiae Praepoſiti, Cathedrali Tem-

ſ) Annal. Eccleſ. Dan. Diplom. P. I. Lib. IIII, c. 3 p. 615.

t) Prolegom. Cap. XIIII, p. 22.

u) Daen. Reichs Hiſt. P. I. p. 275.

x) *Andr. Welleium* et *Stephanium*. Huitfeldius ad An. 1201, Heluaderus in Silua Chronol. p. 36. mortem Saxonis ad An. 1190. referunt; quae vltima certe ſententia cum vero omnino pugnat. Pontanus Hiſt. Rer. Dan. Lib. VI, p. 294 et p. 300. ad An. 1206 retulit.

Templo Roſchildiae illatae. Tumulo, tribus poſt ſaeculis, *y*) Epigraphe impoſita a *Lagone* (vt fertur) *Vrne*, Epiſcopo Roſchildenſi, quae vel hodie ad partem Templi auſtralem parieti affixa eſt. Initium Epitaphii ex Ioh. Iſacio Pontano z) adſcribam:

Qui viuens alios aeternum viuere fecit,
SAXO GRAMMATICVS *mortuus hic recubat.*
Mortuus extincto ſed tantum corpore, mente
Qua valuit, magno viuit et ingenio.

XIIII

Saxonis Hiſtoria Daniae, eiuſque Editiones quatuor.

Iam de opere praeclaro et omnino diuino dicam, quod non tam captum ſuperat illius aetatis, quam quod antiquis, quin omnis adeo ſaeculi cum primariis ſcriptis certat. Videtur Saxo manum admouiſſe ſcribendae *Hiſtoriae Danicae*, demum tum, poſtquam Abſolon dignitate Archiepiſcopi ornatus fuit. In *Praefatione a*) enim

y) Iuxta Ioh. Mollerum, in Iſagoge ad Cherſoneſ. Cimbr. Cap. III, p. 31. Pontanus l. c. ſcribit, Epigraphen impoſitam fuiſſe *poſtmodum.*

z) Hiſt. rer. Dan. Lib. VI, p. 300. Add. Stephanii Proleg. Cap. XV, p. 22. Pontoppidan. Annal. Eccl. Dan. P. I, p. 615,

a) *Praefatio* Saxonis continet, inter alia, deſcriptionem quandam ſitus Daniae. Illa commentarioli inſtar, inſerta eſt Tractatibus illis variis *de Regno Daniae et Noruuegiae, Inſuliſque adiacentibus*, qui vulgo ſub nomine *Reſpublicae Elzeuirianae*, forma 32, noti ſunt. Libellus prodiit

enim teſtatur, impoſitum ſibi hoc muneris fuiſſe ab *Abſolone*, *Danorum Pontifice Maximo.* Conſtat vero ex Annalibus Eccleſiae Lundenſis, Abſolonem *Eſchillo*, in Monaſterium Clareuallenſe abeunti, *b*) anno MCLXXVII ſucceſſiſſe. *c*) Huic operi aeterno annos conſumſit viginti; annos omnino eos, quibus ſumma penes Abſolonem fuit. Huius fata quum metam coepti operis (vt ait Saxo,) *d*) praecurrerent, ANDREAM SVNONIS, Abſolonis ſucceſſorem, ducem et praeſidium materiae popoſcit, opuſque immortale *a prima gentis Danicae origine vſque ad annum 1185*, LIBRIS SEXDECIM abſoluit, ac perfecit. Delituerat opus incomparabile trecentos et amplius annos, antequam ſuo ex ſitu puluereque, velut ex orci faucibus protraheretur. Tandem CHRISTIERNVS PETRAEVS (ſiue PETRI,) A. M. et Eccleſiae Lundenſis Canonicus, maxime mereri coepit de patria; quandoquidem auctore *Lagone Vrne*, *e*) Roſchildenſi Epiſcopo, de maturanda Saxonis Grammatici editione cogitaret. Obtinuit Petraeus Codi-

Lugd. Bat. 1629. *Praefatio* Saxonis legitur Num. 2. a pag. 42-51.

b) Hiſtoriam abdicationis Eſchilli ab Archiepiſcopatu, enarrat Saxo libro XIIII, p. 356 ſeq.; et ex Saxone, Pontoppidan. Annal. Eccl. Dan. P. I, p. 445 ſeq.

c) Conf. omnino Stephan. Proleg. Cap. XIII, p. 21 med.

d) Praefat. p. 1. med.

e) Eſt ille ipſe, qui idem circa tempus *Epigraphen* tumulo Saxonis inſcripſit; de quo dictum §. XIII, et lit. *y*.

Codicem Saxonis Manuſcriptum ex Tabulario Lundenſi, a Reuerendiſſ. tum Archiepiſcopo, BIRGERO; quem omni diligentia deſcriptum, reuerſus in Galliam, imprimendum tradidit *Iodoco Badio*, *Aſcenſio*, typographo erudito, et ſuae aetatis eminenti. Prodiit igitur primum Saxo Grammaticus, hiſtoricus laudatiſſimus, Pariſiis, anno MDXIIII, in folio, typis nitidis, et charta eleganti. Praefixae ſunt huic editioni literae tres: Epiſtola *Lagonis Vrne* ad *Petraeum*; huius viciſſim amoebaea ad illum; denique, Dedicatoria *Aſcenſii* ad eundem Lagonem, in quibus omnibus *de occaſione edendi Saxonis f*) data opera exponitur.

II. Altera editio Saxonis Grammatici prodiit poſt annos viginti, Baſileae, apud *Ioh. Bebelium*, anno MDXXXIIII, in folio. Huic editioni Praefationem ad *Philippum a Gundelſheim*, S. R. I. Principem et Epiſcopum Baſilienſem, praemiſit IOH. OPORINVS. Is a *Ioh. Sphyracte*, docto iuuene, Baſileenſi, ex itinere Gallico acceperat editionem Aſcenſianam, Sphyracti Luteriae donatam ab *Erico a Crabben*, Dano, eo conſilio, vt ad Oporinum mitteret, eumque hortaretur Saxonem excudi. Haec editio, perelegans eſt etiam ipſa: typi, ad for-

f) De hac editione Saxonis principe et rariſſima, vt ſunt omnes Aſcenſianae; ex inſtituto et fuſe expoſuit, *Epiſtolaſque tres* (de quibus dixi,) adſcripſit Stephanius, Prolegom. Cap. I et II.

formam illorum *Aſcenſii:* charta, admodum candida ac niuea: denique Index, locupletior Stephaniano. Errarunt autem Ioh. Mollerus, *g*) et cum ipſo alii plures Viri doctiſſimi, qui hac ex vna duas fecere editiones, *Sphyractinam*, anno 1524; et *Oporinianam*, anno 1534. Nam de editione, quae fertur anno 1524 prodiiſſe, nihil apud quenquam auctorum legitur. *h*)

III. Poſt annos quadraginta duo, editio tertia exiit Francofurti ad Moenum, ex Officina typographica *Andreae Wecheli*, An. MDLXXVI, in folio. Praefationem ad *Christo. zum Iungen*, Conſulem Francofurtenſem, adiecit PHILIPPVS LONICERVS, *i*) Eccleſiaſtes ibidem, editionis huius corrector. Laudat in ea *Ioh. Fichardum*, ICtum et patriae Syndicum, quod exemplar Saxonis, neſcio quod, a quo typis imprimeretur, Wechelo ſubminiſtrauit. Quare ſi Stephanius, Schoettgeniuſque *k*) exſtimant, *opera et cura Ioh. Fichardi*

g) In Hypomnem. ad Alberti Bartholin. de ſcript. Danor. p. 396.

h) Id iam obſeruauit Fabricius, ſeu potius Schoettgen, Bibl. Lat. med. aet. Vol. VI, p. 424.

i) Lexicon *Ioecherianum*, (praeſtans et laudabile opus,) ſiſtit quidem *Philippum* aliquem *Lonicerum*; ſed quis fuerit, non addit. Ex hac Praefatione patet, Lonicerum, relicto Scholaſtico, deinceps Eccleſiaſticum munus Francofurti adminiſtraſſe. In eodem Lexico nulla etiam fit mentio locatae a Lonicero operae in re literia, Saxoni Grammatico data.

k) Stephan. Cap. III. Schoettgen. p. 424 lin. vlt.

chardi prodiiſſe editionem hanc, ex eadem Praefatione edoceri alia debuiſſent. Ceterum charta et typi ſunt longe meliores, quam in editione Stephanii. Index quoque varia adducit alia, quae in iſta deſiderantur.

IIII. Tandem poſt annos octo et ſeptuaginta, editio quarta prodiit Sorae, typis et ſumtibus *Ioach. Moltkenii*, anno MDCXLIIII, in folio. Hanc editionem, huc vſque optimam, magno ſtudio recognouit STEPHANVS IOHANNIS STEPHANIVS, Hiſtoriographus Regius, et in equeſtri Sorana Profeſſor. Praemiſſa eſt Dedicatio ad *Chriſtianum* IIII, Daniae Regem. Accedit Index rerum in Saxone memorabilium, qui ceteris quidem, qui ante prodierunt, Indicibus, accuratior et locupletior vocatur; ſed parum vere. Ad hanc Saxonis Grammatici editionem ſeparatim prodierunt Stephanii eiuſdem *Notae vberiores l*) *vna cum Prolegomenis ad eas Notas*, Sorae, typis *Henr. Cruſii*, Acad. typographi An. MDCXLV, in folio, paginis 252 abſolutae. In hac editione contextus emendate datus: interpunctio quondam vitioſior, correcta: Prolegomena docta, de vita et ſcriptis Saxonis Grammatici, Ca-

pitibus

l) Conf. Stephan. Proleg. Cap. IIII et V. Capite VI dolet Stephanius de infelici iactura duorum Codicum MSS. Saxonis, quam fecerat Caſpar Barthius anno 1633, quum in villa ſua prope Lipſiam, maior pars Bibliothecae ipſius incendio periiſſet. Queſtum philomelae apud Virgilium, adſcripſit elegantiſſ. Stephanius.

menta adhibuit, (adhibuit vero etiam, praeter haec documenta, Venerab. *Bedam*, n) *Dudonem*, o) et *Paullum Diaconum*; p)) tantum in his Saxoni fidei tribuendum puto, quantum hiſtorico primi ordinis debet.

XVII

Vtilitas librorum Saxonis (1) *in literis humanioribus.*

Magnam Hiſtoria Saxonis vtilitatem habet, praecipue in ſtilo cultiore, in antiquitatibus, rebuſque tum ciuilibus, tum ſacris, ac literariis. Conueniunt eo omnes qui de his iudicare poſſunt, ſtilum Saxonis hiſtoricum eſſe purum, concinnum, grauem, perſpicuum, verbo eum, qui cum optimis et praeſtantibus componi ſcriptoribus poteſt, q) et cum antiquis probae notae

n) Saxo Gramm. Lib. I, p. 5: *Teſtis eſt* BEDA, *non minima pars diuini ſtili, qui in Anglia ortus, ſanctiſſimis ſuorum voluminum theſauris res patrias ſcciare curae habuit.* cetera.

o) DVDO, rerum Aquitanarum ſcriptor, libros ſcripſit tres de actis primor. Ducum Normann. Hunc edidit, cum aliis antiquis ſcriptorib. rer. Normann. Andr. Ducheſnius. Conf. Saxo Gramm. pag. 5.

p) PAVLLVS VVARNEFRIDVS, *Diaconus*, vetuſtus rerum Longobardicarum ſcriptor, a Frid. Lindenbrogio cum Iornande et Iſidoro editus Hamb. 1611. Hunc laudat Saxo, libro VIII, p. 159. Conf. Stephanius in Notis p. 180. ſq.

q) Adeunda ſunt encomia virorum doctorum de Saxone Gramm., quae congeſſit Stephan. Proleg. Cap. XVI et

notae libris certat. Dictio emendata: periodi haut nimis extenſae: ordo decens: verba non perturbata: deſcriptiones aptae locorum, fluminum, rerum aliarum. Si celeriter geſta, ſi dicta aliorum enarrantur, Saxo inciſim loquitur. Nihil dicam de aliis veneribus eius orationis, vt de enallage Infinitiui, quam ſaepe adhibuit, *r*) ac reliquis. Melior in eo hodiernis. Tam ieiune multi, tam macilente hiſtorias deſcribunt et commaculant, vt regnare in macie videantur. Paucis. Quis enim negauerit, Saxonem optimorum ſcriptorum Latinorum dictionem, mentem, vim, indolem ſibi aſſueuiſſe? quum magnus ipſe Deſid. Eraſmus *ſ*) orationem Saxonis probet, vtpote *nuſquam remiſſam, aut dormitantem, tam miram verborum copiam, ſententias crebras, et figurarum admirabilem varietatem.* Addit Roterodamus: *ſe admirari ſatis non poſſe, vnde illa aetate homini Dano tanta vis eloquendi ſuppetiuerit.* Praeterea eluxit Grammaticus ingenio ardente in oratione ligata *t*) ac poëtica. Inſeruit crebro, more *Petronii, Boëthii, Marcia-*

XX. Ioh. Moller. in Iſagog. P. I, p. 31. et Hypomn. ad Bartholin. p. 296. Add. Sibbern Biblioth. Hiſt. Dan. p. 21. ſq.

r) Conferatur egregius Stephanii commentarius, in quo ex optimis Graecis et Latinis ſcriptoribus dictiones Saxonis illuſtratae fuerunt, ita, vt multis philologorum Notis, in auctores claſſicos congeſtis, ſit praeſtantior.

ſ) Dialog. cui tit. *Ciceronianus*, p. m. 59.

t) Conf. Ioſ. Scaliger in alteris Scaligerian. p. 212. et Conr. Sam. Schurzfleiſch. Diſſ. de

Marciani Capellae, et aliorum, Carmina ſua, non tam media, quam aurea aetate digna. En ſpecimen breue, quod etiam Venerandus et Illuſtris Procancellarius Academiae Hafnienſis, Ericus Pontoppidanus, *u*) adduxit. Hialto, heros, Biarconem dormientem compellat: *x*)

Ocius euigilet, quiſquis ſe regis amicum
Aut meritis probat, aut ſola pietate fatetur.
Diſcutiant ſomnum proceres, ſtupor improbus abſit,
Incaleant animi vigiles: ſua dextera quemque
Aut famae dabit, aut probro perfundet inerti;
Noxquê haec aut finis erit, aut vindicta malorum.
Non ego virgineos iubeo cognoſcere ludos,
Nec teneras tractare genas, aut dulcia nuptis
Oſcula conferre.
Non liquidum captare merum, teuerumue fricare
Femen, et in niueos oculum iactare lacertos.
Euoco vos ad amara magis certamina Martis.
Bello opus eſt, nec amore leui: nihil hic quoque facti
Molliti-

reb. Dan. p. 8. Schurzfleiſchii haec ſunt: *Saxo Grammaticus ſui aeui omnes vicit, et pulchriori, quam quiſquam alius ex media aetate, ſtilo, ſoluto et ligato ſermone, Hiſtoriam ſuae gentis complexus.*

u) Annal. Eccleſ. Dan. Diplom. P. I, p. 255.

x) Saxo Gramm. Hiſt. Lib. II, p. 32.

Mollities eneruis habet, res praelia poſcit.

Quiſquis amicitiam regis colit, arma capeſſat.

Quod attinet ad patrias antiquitates, omnes Saxonis libri curioſis vetuſtiſque monumentis pleni ſunt. *y)* Illuſtrat Saxo mores et ritus ſingulares veterum Danorum. Conſuetudines deſcribit in eligendo Rege; cerimonias in iudiciis, in exercitiis militaribus, in bello, ſacrificiis, connubiis, ſepultura denique, et rebus prope omnibus antiquis. *Praefatio* illa *Saxonis*, de qua ſupra z) expoſui, continet enarrationem inſularum Daniae, deſcriptionem finium atque limitum Noruagiae. In aliis libris recenſet oppida, vicos, pagos, coenobia

y) Sane Grammaticus Saxo pertinet (praeter ſaxa, Scaldros, Monumenta Iſlandica, Adamum Bremenſem, Helmoldum, Suenonem Aggonis,) inter fontes praecipuos, e quibus antiquitates Septentrionales hauſerunt viri egregii, et laudibus meis ſuperiores, Olaus Wormius, Eric. Olaus Tormius, Thom. Bartholinus, Petr. Ioh. Reſenius, Ioh. Geo. Keyſler, atque alii. *Ioh.* quidem *Lyſchander*, Antiq. Dan. Serm. VIII p. 69, putat, Saxonem antiquitates minus diligenter inueſtigaſſe, quum Reges tantum a Danao Baltheo, qui initiis Regnorum Cimmericorum ſeu Borealium, annis mille recentior eſt, deſcendentes recenſeat. Attamen haec non pertinent tam ad ritus antiquitateſque patrias, quam ad hiſtoriam Regum, quos non ſatis accurate a primo inde initio Saxo recenſuit. Aequior certe eſt *Torfaeus*, in Serie Dynaſt. et Reg. p. 220, qui Saxonem, ait, multas vetuſtatis hiſtorias, quae temporum iniuria apud Iſlandos interciderunt, conſeruaſſe.

z) Conf. §. XIIII, lit. *a* pag. XXVIII. Add. Sibbern Bibl. Hiſt. p. 107.

bia et ſacella; quorum amoenitatem, opulentiam, magnitudinem, naturae et artis munera, terſe et eleganter depingit. Praeſtat vero in Hiſtoria ciuili, *a*) praeſertim Danica: qua opera tam praeclare perfunctus eſt, vt immortale ad poſteros nomen ferat.

XVIII

Vtilitas librorum Saxonis (2) in Hiſtoria ſacra.

Quid dicam de rebus ſacris, tam de cultu *Deorum* Danicae vetuſtatis, quam de hiſtoria *diuinioris coetus Chriſti*, quam Saxo Grammaticus vtilitati publicae expoſuit?

Antiquis temporibus multos abs Danis Deos, multa Numina, fuerunt culta, quorum ſacra et alia Saxo deſcripſit. Grammaticus noſter expoſuit de Diis illis *tribus*, quos gentes Septentrionales maxima veneratione obſeruabant. Primus eſt magnus ille OTHINVS, *b*) (ſeu *Odinus*,) qui idem cum *Marte c*) (aut forte *Mercu-*

a) Huc pertinet Ioh. Molleri Iſagog.. ad Hiſt. Cherſoneſ. Cimbr. *totum Cap. IIII*, de Hiſtoria Ciuili; inprimis §. II, p. 31 ſeq.

b) Plura de Odino legi poſſunt apud Th. Bartholin. Antiqu. Dan. Lib. II, Cap. 5, 6. 7. Keyſler Antiqu. Septent. p. 139. Holberg. Hiſt. ſtat. Dan. T. I, p. 45.

c) Doctiſſ. Keyſler, in pecul. diſſertatione, appendicis loco annexa El. Schedio de Diis German., oſtendere conatur, *Othinum* et *Freium* e-

Mercurio,) fuiſſe videtur, et praecipue in *Valhalla*, *d*) id eſt, ſede felici animarum fortium bello interemtorum, praeſidêbat. Huic Deo, vt victoriam concederet, animas hoſtium peremtorum, nonnunquam etiam ſuas, pollicebantur. *Odini* coniux Dea FRIGGA fuit, *e*) quae tantum in Septentrione, quantum inter Romanos *Venus*, quam etiam *Frigga* Danorum repraeſentabat, colebatur. Deus tertius THOR, ſiue THORON dictus, tonitrui ac fulminum eiaculator. quem *Ioui* diſſimilem non eſſe, viri docti *f*) exiſtimant. Praeter hos Deos tres, Saxo adduxit alios, qui *minorum gentium Dii* vocari debent. Huiuſmodi eſt MID-ODINVS, (*Mithothin*,) diuinitatis affectator, *g*) ab *Odino* paullo poſt diuinitate exutus; et FRO, *h*) ſatrapa, tempeſtatum

dem eſſe ac *Solem*. Ingenioſe et erudite diſputat Keyſlerus. At Saxo Grammaticus *Othinum* vocat *armipotentem* lib. II, p. 37. Et Bartholinus ex *Edda* et aliis Monumentis affert ea, e quibus potius *Mars* Romanorum pro *Othino* haberi poteſt

d) De *Valhalla* conf. Bartholin. Antiqu. Dan. Lib. II, c. 8. p. 397. Keyſler Antiqu. Septentr. p. 127-151.

e) *Frigga* confundi non debet cum *Freio* ſeu *Friggone*, id eſt *Sole*. Conf. Keyſler l. c. Add. Stephanius in Notis ad Saxon. Gramm. p. 136-144. Ibi ex inſtituto diſſeruit de tribus Diis, *Othino*, *Frigga*, *Thoro*, imagineſque eorum ſiſtit.

f) Vid. Olai Magni Hiſt. Gent. Septentr. Lib. III, c. 3. Stephanii Not. l. c. p. 139. et Ioach. Wieland Diſſertt. 2. de *Thoro* veter. Septentrional. Hafniae 1709. 1710.

g) Saxo Lib. I, p. 13.

h) Saxo Lib I, p. 16. Add. Stephanii Not. ad h. l. p. 54. *Frobloth* tantundem valet ac ſacri-

tum et aëris potens, in cuius honorem ſacrificia, *Frobloth* dicta, ſanguine humano peragebant. *Otbino* a Diis in exilium eiecto, ſucceſſit OLLERVS, etiam ipſe aliquis Deus, *i*) cuius diuinitas, quum *Othinus* denuo receptus eſſet, nec ipſa diu perdurauit. De aliis gentium Borealium Diis Saxo expoſuit data opera *libro ſexto. k*)

Iam ad meliora perueniam. Saxo enim Grammaticus non omittit rem maxime notatu dignam. Sub *Frothone III*, Rege Daniae, (Frothoni cognomen *Pacifici* adhaeſit,) IESVS CHRISTVS publicae ſalutis auctor fuit natus. Putat Saxo, *l*) eodem tempore terras, incendiis bellorum ſopitis, tranquillitate et pace abundaſſe. Tum interiectis narrationibus de rebus deinceps geſtis, docet *m*) primordia conuerſionis Danorum

ſicium, quod in honorem Dei *Fro*, *ſanguine* vel humano vel pecudum peragitur.

i) Saxo Lib. III, p. 45: OLLERVM *quendam non ſolum in regni, ſed etiam in diuinitatis infulas ſubrogauere.*

k) De bello quodam, diuinis humaniſque viribus permixto, Regis *Hotheri* contra *Othinum* et *Thoronem* Deos, in quo Rex victoriam reportauit; legitur apud Saxonem lib. III, p. 41. Huius belli cauſſa addit Saxo: *Inimicum opinione eſſet, niſi fidem antiquitas faceret, Deos ab hominibus ſuperari. Nam talibus Diis, non natura, ſed gentium more, diuinitatis vocabulum damus.*

l) Saxo Lib. V, p. 95. In eadem ſententia eſt Stephan. in Not. p. 129, probans id ex Oroſio, Freculpho, Ottone Friſingenſi.

m) Lib. VIII. Add. Geo. Vrſini Sched. Hiſt. de prima Relig. Chriſt. fundat. in Iſlandia. Hafn. 1696.

rum ad religionem Chriſtianam. Hoc ita inſtituit. In vita *Gormonis*, *Haraldi* filii, Daniae ſaeculo octauo Regis, peregrinationes *Torkilli*, qui a conſiliis Regis fuit, deſcribit, *n*) tantum non fabulis affines: mirabilia multa de daemone quodam, *Vgarthiloco*: *o*) pilus, huius mento exemtus: plurimi comitum ſuorum interemti. Nolo prolixius haec enarrare, nec inquirere in cauſſas mirabilis mythologiae. Hoc certo conſtat *p*): *Torkillus*, Regio iuſſu in Germaniam miſſus, ſciſcitatum, quid rei eſſet cum illa noua religione quam ibi *Carolus M.* introduceret, diſcit rudimenta cultus Chriſtiani. Quae quum Daniam reuerſus propagare inciperet, impedimenta, vt fit, plurima experitur. Quicquid fuerit, fructu certe ſuo non caruerunt *Torkilli* coepta *q*), quandoquidem eo inde ab tempore initium conuerſae poſtea ad Chriſtum Daniae arceſſi debet.

XVIIII

n) Lib. VIII, p. 160 ſeq.

o) *Vgarthiloci* mentionem quoque facit Edda. Iuxta veterem Daniae linguam, vox eadem eſt ac *Daemon* ſeu *Idolum*, *quod in ſuburbio* ciuitatis *colebatur*. Hoc monſtrum Saxoni noſtro mox *Daemon*, nunc *Gigas*, nunc *Deus* appellatur. Conf. Stephan. in Not. p. 185 et Eric. Pontoppidan. Annal. Eccleſ. Dan. P. I, p. 18.

p) Certum eſt, multa Saxonis, quae fabulis inuoluta ſunt, vera continere, ſi explicatio accedit ſana. Id exemplis demonſtrant Stephan. in Notis, p. 185. Pontoppid. l. c. et Holberg Hiſt. Regn. Dan. T. I, p. 59.

q) Conf. Andr. Seu. Welleii Gloſſ. Marginal. ad Saxon. Lib. VIII, p. 190.

pitibus XXVI praefixa: Notae philologicae, criticae, et antiquariae adiectae, in quibus dictiones et ritus e ſcriptoribus probis antiquae et mediae aetatis, Graecis, Latinis, eleganter illuſtrantur; monumenta antiqua multa, et vetuſtae Inſcriptiones figuris ligno inciſis impreſſae. Stephanius ante praemiſerat Notas minutiores Lugduni Batauorum An. MDCXXVII ſeparatim excuſas, *m)* deinceps has vberiores parauit. Paucis dicam. Saxo Stephanii a collectione praeſtantium et claſſicorum ſcriptorum, et a philologi eruditi bibliotheca abeſſe nequit.

XV

Commentatores inediti, et Verſiones.

Ab hoc inde tempore nemo, quod mireris, recudi fecit tam dignum et praeſtans opus, cuius exempla tamen editionum ſingularum, raro, praeſertim in Germania, occurrunt. Quam enim Cornelius a Beughem *n*) affert, editio *Roſtochienſis* anni MDCLVI, *cum annotationibus Stephanii*; ea nunquam prodiit. *o*) Merebatur vero hoc ornamentum patriae, Saxo Grammaticus;

m) Libellus Stephanii perrarus prodiit *forma octaua.*

n) In Bibliogr. Hiſtor. p. 221.

o) Conf. Moller. Hypomn. ad Bartholin. p. 396. Schoettgen. Bibl. med. aet. Vol. VI, p. 425.

ticus; merebantur hae doctae elegantesque Notae Stephanianae, quae ab aliquo *Godofredo Schütze*, aut *Bernardo Moellmann*, *Olao Henr. Mollero*, aut ab alio quodam his viris praeſtantibus ſimili, ad modum veterum ſcriptorum Latinorum et claſſicorum, quam fieri poteſt, ornate recuderentur. Praeter alia conferri etiam poterant, qui adhuc latent in bibliothecis Daniae, Commentatores inediti, *Ioh. Suaningius*, Senior, Regis Chriſtiani III. Hiſtoriographus; *Nicolaus Petraeus*, Praepoſitus quondam in Mona Inſula Süderaaſenſis; et *Brynolphus Suenonius*, Epiſcopus Scalholtenſis in Iſlandia; quorum etiam omnium, et praecipue *Suenonii*, Coniectanea quaedam atque Excerpta in aliquot Saxonis locos, Stephanius hinc inde ſuis Notis inſeruit. *p*)

Tandem ſilentio praetermittendum non eſt, haut male promeritum de Saxone eſſe ANDREAM SEVERINI VELLEIVM, (*Weel*, ſiue *Welle*;) Hiſtoriographum, et Canonicum Ripenſem. Ille enim Grammatici noſtri Hiſtoriam patriam conuertit *Danice*, et dum ſuperfuit, edidit bis Hafniae An. 1575, et An. 1610, in folio. Praefationes quoque varias, et ad marginem Annotationes

p) Schoettgen l. c. Conf. Stephanii Commentar. in Saxon. p. 18, 24. ſeq. et Prolegom. Cap. V. Inprimis Ioh. Mollerum in Hypomn. in Barthol. p. 497. Idem vir doctiſſ. affert etiam ſcriptores, qui *ſententias ſcitas Saxonis* congeſſerunt; inter eos ſunt Ioh. Porſius, Willich. Weſthouius, Stephanius.

tiones quaſdam adiecit. Neutram vero editionem huc vſque vidi. *q*) Similis inſcientia in cauſſa eſt quoque, quare parum contenderim cum Nic. Petro Sibbern, *r*) et Chriſti. Schoettgen, *ſ*) etſi quae dicant, nondum credam. Putant vero, Hiſtoricum noſtrum etiam *dialecto Saxoniae Inferioris* (Saxo Grammatikus up Plat-dütſch,) prodiiſſe An. 1481, forma octaua.

XVI

Praeſtantia librorum Saxonis; et Documenta hiſtorica.

Illuſtrauit Saxo Grammaticus libris ſedecim *Hiſtoriam Danicam*, cum *ciuilem*, tum *ſacram*, *eccleſiaſticam*que, a prima inde origine regni, vſque ad ſaeculi duodecimi annum quintum octingenteſimum, (An. 1185,) quo Rex *Canutus*, huius nominis *ſextus*, rerum potiretur. *t*) Argumenta librorum ſingulorum recenſuit diligen-

q) Schoettgen l. c. ait, primam Welleii editionem verſionis Danicae An. 1570 prodiiſſe. Ven. Pontoppidanus Annal. Eccleſ. Dan. T. I. p. 256 annum 1576 adducit.

r) Biblioth. Hiſt. Dan. Noruag. Cap. 1, p. 24.

ſ) Bibl. med. et inf. Latin. Vol. VI, p. 425. Mollerus in Hypomn. p. 397 ait, mentionem fieri huius verſionis in *Catal. Biblioth. Reſen. p. 263.*

t) Idem patet ex eo, quod Saxo ſub finem Hiſtoriae, de *Bogiſlaui*, Ducis Pomeraniae, *deuictione* enarrat, quae ſub idem tempus facta fuit. Add. Holberg. Dan. Reichs Hiſt. P. I, p. 255 ſeq. Errat igitur Aubertus Miraeus in Chron. ſuo, quod Saxonem

ligenter Nic. Petr. Sibbern, *u)* in Bibliotheca Hiſtorica. Quoad prima imperii initia, ab eorum Saxo eſt partibus, qui *Danum*, Humbli filium, conditorem gentis, et primum Regem conſtituunt, *x)* a quo regnum adeo ipſum nomen *Daniae* traxerit. *y)* Deinceps enumerat Reges Daniae temporum antiquiſſimorum, ſed (vt candide dicam,) iuſto ſubinde plures quam fuerint, et

dixit vſque ad annum MCC. hiſtoriam Daniae perduxiſſe.

u) Cap. I, p. 21. 22.

x) Sententiae ſunt tres, quis gentis ac regni Daniae primus conditor fuerit. Prima dicitur hypotheſis *Vulgaris*, cuius auctor eſt *Saxo Grammaticus*; quem ſequuntur Huitfeldus, Pontanus, Meurſius. Hi omnes a Dano, Humbli filio, originem Daniae et regum illius deducunt. Altera ſententia vocatus *Gothlandica*, cuius auctor *Nic. Petreius* fertur; quem ſequuntur Lyſchander, Strelouius, et alii. Hi monumentis Gothlandicis ſuperſtruunt ſuam hypotheſin. A ſententia quidem Saxonis non recedunt quoad ſeriem Regum *poſt* Danum, tamen longe altius repetunt origines Danicas, a Gomero (filio Iaphet, Noachi nepote,) deducentes originem regnorum borealium. Tertia hypotheſis eſt *Iſlandica*, cui *Sueno Aggonis* et *Thormodus Torfaeus* adhaerent. Hi antiqua Iſlandica monumenta ſequentes, Scioldum, (reiecto Dano, et Gomero,) primum Daniae Regem conſtituunt. Sententia haec a plurimis Hiſtoricis, Danis aeque et exteris, hodie approbata, nec ipſa tamen caret difficultate ſua. Plura ex inſtituto vide de his tribus hypotheſibus, apud Sibbern Bibl. Hiſt Dan. Cap. I. ſect. II, III, IIII. et Holberg. Dän. Reichs Hiſt. P. I, p. 38 ſeq.

y) Leibnitius in Miſcell. Berol. I, 1, p. 14 et in Diſſ. de Origine Francor. ingenioſe coniicit, *Daniam*, a flumine Eydora (*fine* quondam *imperii Romani*, vt inſcribitur in porta Renſburgenſi,) quae olim *Döna* fuiſſet dicta, vocari.

et ordine a ſcriptoribus reliquis alieno. z) Quoſdam putat vixiſſe ante ſalutem generis humani inſtauratam, qui tamen poſtea demum floruerunt. Alios numero Regum inſert, ſubditos ſaltem et vectigales, licet ſubinde Regibus potentiores. a) *In libris octo prioribus*, qui (prope tertia parte operis,) hiſtoriam enarrant, *Caroli M.*, et *Godefridi* (alias *Gotrici*,) temporibus antiquiorem; in his, inquam, propter prodigioſa non pauca, et miranda, immo fabulis propiora, eleganti quidem ſermone inuoluta et quaſi ſeſamo conſperſa, confictaque in admirationem gentium aliarum; igitur indubitatae eſſe fidei non ſemper poteſt. *In totidem* vero *libris*, *qui hos ſequuntur*, a magno inde Rege *Godefrido* vſque ad *Canutum VI*, (at illi maximam operis partem explent,) hiſtoricis omnino optimis aequiparatur. b) Equidem iam non repetam ea, quae defen-

Sed mittimus alias coniecturas. Add. Th. Bartholin. Diſſ. de nomine regn. Dan. Hafn. 1710.

z) Hoc paſſim obſeruarunt Pontanus, Stephanius, Meurſius, Sperling, Pontoppidanus, Holberg, reliqui. Add. Ioh. Buno, in Defenſ. contra Roſenkranz. p. 109 ſeq. Torfaeus, in Serie Dynaſt. et Reg. Dan. I, 7 p. 219.

a) Vid. Andr. Foſſius, Epiſc. Bergenſ. in Epiſc. ad Deſ. Foſſium. Verba integra adſcripſit Stephanius in Proleg. p. 36.

b) Idem iudicium eſt meritiſſimi Ioh. Molleri in Introd. ad Notit. Cherſoneſus Cimbr. P. I. p. 40 ſq. et omnium eorum, qui praeiudicata opinione non abrepti, Saxoni iuſta tribuunt.

defendendo Saxoni impendit Stephanius. *c*) Docte is accurateque dixit in eos, qui Saxonem accuſant, tum, quod *fabulas inſeruit ſuae hiſtoriae*; tum, quod *temporum rationem ſubinde non obſeruauit.* Saltem pauca addam. I.) Multa videri poſſunt incredibilia, quae olim certiſſime euenerunt. *d*) Neque vero hiſtoria eſt ſtatim mendax, haec, cui ſubinde aliquid fabuloſi irrepſit. *e*) Actum enim ſic eſſet de praecipuis hiſtoricis antiquis, ſi propter paucas narrationes fabuloſas, hiſtoriis ſuis varia de cauſſa inſertas, contemtim habeantur. *Herodotus* ſane, *Siculus Diodorus*, *Plutarchus*; et ex Latinis *Liuius*, *Tacitus*, *Iuſtinus*, quot res enarrant fidem omnium ſuperantes! Qui ſcriptores, eo non obſtante, ſi magni tamen iure habeantur, eodem iure quare *Saxo Grammaticus* non vtatur, *f*) parum video. II.) Quod Grammaticus ſeriem temporum non vbique expreſſit, id eo minus ipſi poterit vitio verti, quo remotiora fuerunt, quorum hiſtoriam temporum deſcripſit. Contentus plerumque fuit mentione Regum vicinorum, aut

c) Prolegom. Capite toto XXIII.

d) Vere Plinius Hiſt. Nat. VII, 1 ait: *Videlicet, quae non vidimus ipſi, nec fieri potuiſſe ſuſpicamur. Idemque eſt, ſi quae coram intuemur, veterum Hiſtoricorum traditis diſſidere animaduertimus, mox omne iudicium praecipitamus, et ſcriptores falſitatis damnamus.*

e) Verba ſunt Ger. Ioh. Voſſii lib. de arte Hiſtor. Cap. 9.

f) Conf. Stephan. Proleg. Cap. XXIII, Aphoriſm. 37-52.

aut aliorum virorum fortium; qui quum ex ſe eſſent celebres, aeram videbantur peculiarem *g*) conſtituiſſe. Sic aetas *Gotrici* Regis, a *Carolo Magno* fit perſpicua. Sic *Hemmingi* tempora, a pace cum *Ludouico Caeſare* inita intelliguntur. *Haraldi* aetas, ab eodem *Ludouico Pio*, qui iſtum ad fidem conuertit Chriſtianam; et ab *Othone* I, cognoſcitur. *h*) atque id genus alia.

In *Praefatione Operis ad Andream Sunonis*, Saxo recenſet ſerie DOCVMENTA, quae ſcribenda Hiſtoria Daniae ſequutus eſt. *i*) Illa ſunt quatuor. I.) Carmina antiqua ſermonis patrii, a *Scaldris* et *Runis*, viris Danicae poeſeos peritis, *k*) ſcripta, res ſui ſaeculi praeclaras et memoria dignas complexa. II.) Inſcriptiones veteres, in lapidibus et ſaxis, memoriae et monumentorum

g) Nec vſitatum ea aetate, et erat quoque difficillimum, tempora accurate conſignare. Apud veteres Danos non erant Epochae certae, (vt Olympiades apud Graecos,) a quibus numerarent.

h) Si in hiſtoria Danica mentio fit Caeſarum Romanorum, facile tempora intelliguntur. Praeſtat Ioh. Iſacii Pontani Opus Hiſtoriarum praeclarum, in quo ſub finem paginae adſcriptus eſt ſemper Caeſar Romanorum cuius tempore res quaeuis geſtae fuerunt.

i) Pag. 2. princip. Haec fundamenta quatuor Saxonis, quibus in Hiſtoria concinnanda vſus eſt, examinauit Thormodus Torfaeus in Serie Dynaſt. Reg. Dan. I, 7, p. 93 ſq.

k) De *Scaldris* ſiue *Scaldis* veterum Septentrionalium conf. Th. Bartholin. Antiq. Dan. Lib. I, cap. 10, p. 153 ſq. et Stephanius in Not. ad Saxon. p. 13. Add. eiuſdem Proleg. p. 43. 44.

torum cauſſa poſitae. III.) *Iſlandorum* antiquitates. *l*) Denique IIII.) Aſſerta et narrationes patroni ſui, *Abſolonis*, Archiepiſcopi. Iam veteres quidem *Scaldri*, graues ceterum auctoritate viri, quia more illorum temporum, res geſtas heroum Odis concinne elaboratis ornabant, libertate vtentes pictoribus poëtiſque propria; inde factum, quod Saxo, aliis ſubinde documentis deſtitutus, *Scaldros*, et Iſlandiae poëtas ſequens, temporibus illis antiquis et obſcuris quaedam fabuloſa *m*) et mythologica immiſcuit. Maluit eas narrationes, quomodo a maioribus acceperat, ita ad poſteritatis notitiam tranſmittere, quam committere, vt eas penitus ignoraret. At his temporibus, quibus reliqua docu-

menta

l) *Iſlandorum monumenta* conſtabant partim *mythologiis*, partim variis *hiſtoriis*. *Mythologiis* comprehendebant vel myſteria Deorum, vel arcana naturae, vel dogmata philoſophica. Eas ſuppeditat liber, veteri lingua Iſlandica a SNORRONE STVRLAESONIO ſcriptus, qui vulgo *Edda* dicitur; quaeque ex antiquiori *Edda* SAEMVNDI FRODE, (cuius mentionem feci *p. III. lit. a.*) congeſta eſt, de qua vid. Bartholin. Antiq. Dan. lib. I. c. XI. p. 193. De *Eddicis Mythologiis* conf. praeterea Rob. Sheringham de Orig. gent. Angl. c. 12. p. 265. et Keyſler Antiq. Septentr. p. 19. lit. *b*.

m) Subinde enarrat quaedam Saxo, quae ſciebat fabuloſa et ficta eſſe. Lib. X, p. 193 enarrat fabulam de vrſo, qui puellae vitium intulerit. Haec fabula indicat *raptorem, Vrſi ſeu Biornonis nomine*. Scaldri Poëtae, ſcelus latronis nobilis tali modo colorarunt, quia aperte non audebant ſtupratorem potentem reprehendere.

XVIIII

Continuatio eiuſdem argumenti.

Inter haec ſaeculo nono in regnum ſucceſſerat iniuſte *Regnerus*, contra quem *Haraldus Klack*, frater, poſtquam diu infeliciter dimicauerat, denique *Ludouici Pii* Imperatoris auxilium petiturus, impetrat ea conditione, ſi cultum Chriſto addiceret. Placuit conditio Haraldo. Igitur ſancto lauacro imbutus, *r*) delubra Deorum potiora diruit; in territorio *Sleſuicenſi* extruit aedem ſacram; Daniſque, praeſertim *Iutis* et *Holſatis*, Chriſtianiſmi ſacra infert. Sed parum deinceps efficaciter rem geſſit. Nam prope *Flenſburgum* a *Reguero* victus, ex ſplendido ſanctitatis auctore eius denique deſertor euaſit. *ſ*)

Iam *Ericus* quidem *Primus*, poteſtatem regnandi adeptus *t*), ſub initium imperii in abolendo Chriſtianiſmi

r) *Haraldum* ſacro fonte intinxit (vt fertur,) *Ottigarius*, Archiep. Mogunt. in Inſula Ingelheim prope Moguntiam, A. C. 826.

ſ) Ita ſentit Saxo Lib. VIIII, p. 176. cum Suennone Aggonis. Moſhemius, in Hiſt. Eccleſ. Mai. p. 316, et alii, nihil commemorant de Haraldi defectione. Alii viciſſim plane contraria ſcribunt. Singula poterunt cum Pontoppidano, Annal. Eccleſ. Dan. p. 29 ita conciliari: Haeſit primum quidem Haraldus, mox defecit, tandem ſacra Chriſtianorum denuo ſequutus eſt.

t) Saxo Lib. VIIII, p. 178. ſeq.

ſmi cultu *Regnerum* imitari: religioſiſſimum quemque aut ſuppliciis inſequi, aut exilio multare. Tandem mutata mente, et excitatus autem monitis ſalutaribus diui ANSGARII, (cuius ſanctiſſimi viri *u*) memoria Danis perpetuo erit venerabilis,) priſtinum errorem expiare, tantumque in colenda religione Chriſtiana ſe gerere, quantum egerat ante in aſpernanda. Erici ſucceſſor *x*) *Canutus* I; is tamen abſque inſignibus Chriſtianae religionis vita diſcedit. Huius filius, *Frotho VI*; ab *Agapito*, qui tum (vt Saxo ait, *y*)) *ſacris ciuitatis Romanae praeerat*, Daniam *diuinitus erudiri* petiit; antequam votis exequeretur, abſumitur. Poſt haec *z*) Rex *Gormo*, infenſus Chriſtianorum hoſtis, extinguere Chriſtianos; delubris cultum reſtituere; templum in fundo Sleſuicenſi ab Haraldo conditum demoliri. Defuncto Gormone *Haraldus* (cui cognomen *Blaatand*, hoc eſt teutonice *Blauzahn*; dentis caerulei, adhaeſit,) rebus cum Imperatore Ottone I. compoſitis, Chriſtianam religionem

u) Scriptores de hoc illuſtri Cimbricae ac Danicae eccleſiae parente nominat Fabric. Bibl. Lat. med. aeu. T. I, p. 292, et Salut. Luc. Euang. p. 425, ſeq. Quibus adde Acta Sanctorum Menſ. Februar. T. I, p. 391 ſeq. Potoppidan. T. I, p. 46. ſ. Moller Cimbr. lit. T. III, p. 8. Ex his ſcriptoribus reliqui etiam cognoſci poſſunt, *Ebbo*, *Withmarus*, *Rembertus*, alii, qui adiutores et ſocii fuerunt *S. Anſgarii*. Adde Not. *e*, p. LII.

x) Lib. VIIII, p. 178. l. 24.

y) Loc. cit. Huitfeldus et Pontanus volunt *Adrianum III.* ſacris Romae tum praefuiſſe.

z) Saxo l. c.

nem amplecti, *a)* diuinam humanamque pacem Daniae conciliare. Succeſſit *Sueno. b)* At ille totam religionis ſtirpem denuo a radice conuellere, ac ſuſceptum diuinitatis cultum iterum ſuperſtitione commutare. Temeritatem hanc tantam, Deus, contemtionis ſuae vindex, magna rerum Suenonis acerbitate penſauit. Nam is regno ſpoliatus, et in exilium miſſus, ſaeuitiam poenarum Dei acerbe ſenſit. Hac ſaeuitia adactus, religionem ſanctam amplectitur, delictum ſuum lacrimis et poenitentia expiat, cunctis rite peractis vſum ſanctiſſimi lauacri percipit, denique imperium recuperat. Quapropter vt religio Chriſtiana plurimis tum inuiſa propagaretur, Rex ſacerdotem quendam, nomine POPPONEM, ingenio, ſanctitate, ſcientiaque literarum conſpicuum, operis conſortem addit. Qui poſtquam habita concione ad *portum, c)* (*portus* poſtea *ſanctus* dictus eſt,) deinceps fidem doctrinae Chriſti miraculo (vt fertur,) demonſtrauit. Ex chirotheca flammis candentē manus incolumes eduxit. *d)* Hoc ſpectaculo permouit omni-

a) Saxo lib. X, p. 181. ſeq. Add. Adam. Bremenſ. Hiſt. II, 2.3 p. 16. Pontoppidan. T. I. p. 59 ſ.

b) Saxo lib. X. p. 186.

c) Hic portus, ſeu potius *torrens*, fluit inter Sleſuicum et Flenſburgum; olim patria lingua *Iute-Beck*, poſt haec vero *Hille* ſeu Hellig-Beck, id eſt *ſanctus torrens* dictus.

d) Sequimur Saxonem, lib. X, p. 189, qui hoc miraculum ad aetatem *Suenonis* retulit; diſſentientibus aliis ſcriptoribus.

mnium animos, effecitque, vt et *Dania* omnis et *Noruagia* ad Ieſum Chriſtum conuerteretur. Haec tam felix et ſalutaris immutatio ſacrorum euenit *medio ſaeculo decimo*.

Poſt illa cultus ſacrorum Chriſtianorum nouis ſacerdotiis, templis, aedibus, cellis, monaſteriis, et ſacrariis Mariae, auctus: ſacerdotes et Epiſcopi lecti: cerimoniae diuinae inſtitutae, ac confirmatae fuerunt. Omiſit Saxo *c*) nihil eorum, quae ad vitam, doctrinam, et res alias geſtas Epiſcoporum Daniae et Praepoſitorum pertinent. Huius generis ſunt: *Suenonis* Epiſcopi ſanctitas et merita in eccleſiam; religioſa Regis *Erici*, et ſacerdotum, itinera in Palaeſtinam; Epiſcopatus Lundiae, ob egregios *Aſceri* mores, ad maximum ſacerdotii honorem euectus; et reliqua. haec enim ſufficiant.

XX

Adamus Bremenſ. Kranzius, Pontoppidanus, Moſhemius, Holbergius, ad aetatem *Haraldi Blaatand* referunt omnes. Ceterum recte obſeruat idem Moſhemius Inſtit. H. E. mai. p. 357, hoc miraculum, quia naturae vires non ſuperauit, non diuinum, ſed artificiale fuiſſe. Vid. Cypraei Annal. Epiſc. Sleſu. c. 13. Stephan. Not. ad Saxon. p. 207. Chronicum Danic. a. Ludeuuigio editum in Reliqq. MSCtor. T. VIIII. p. 10 ſ.

c) Conf. Saxo lib. XII. p. 223 ſ. 226 ſ. cet. Denique addo ad hanc §. lit. *u*, quod vitam *Anſgarii*, ſeu *Anſcharii* deſcripſerunt REMBERTVS et GVALDO. Confer. optimi Theologi hodierni, Walchii, Prof. Gotting. Diſſ. doctiſſ. de pietate Ludou. Pii, §. 14, p. 32 ſeq.

XX

Vtilitas librorum Saxonis (3) in Hiſtoria literaria.

Denique Saxo Grammaticus non paucis in locis hiſtoriam Daniae literariam illuſtrat. Alta nocte premerentur *Iohannes* religione Abbas, et *Vitolphus*, medicinae periti; *f*) *Gothuara*, femina eloquens; *g*) *Amlethi* et *Erici* (pugilis) eloquentia ac eruditio; *h*) *Hiarnus*, poëſeos Danicae peritus, *i*) qui ob ſcriptum Fronthoni epitaphium diadema adeptus eſt; laterent plures, ſi hoc vate ſacro caruiſſent. Alia plura neſciremus de *Andrea Sunonis*, *k*) qui Galliam, Italiam, et Britanniam ſtudiorum cauſſa peragrauit; plura, de ipſo Archiepiſcopo *Abſolone l*) et multis aliis viris doctis. Praeter haec, nomina propria et cognomina veterum Septentrionalium, ope horum librorum non leuiter illuſtrantur; cuius ſtudii nuper inſigne dedit documentum

Cl.

f) Lib. XV, p. 372. VII, p. 122.
g) Lib. V, p. 68-78.
h) Lib. III, p. 49 ſeq.
i) Lib. VI, p. 96. 97.
k) Lib. I, p. 1. 2.
l) *Abſolonis* vitam et res geſtas diligenter expoſuit Saxo Grammaticus, libro 14, 15, 16. Adde quae ſupra diximus §. XII, p. XXIII et ſeq.

Cl. Iohannes Erici. *m*) Tandem nec barbariem in literis Latinis, quae tum Daniae fuit, Saxo praeterit. Narrat, *n*) ſacerdotem quendam indoctum, etſi eloquentem, *Suenonem*, dum ex *libello Arae* vota ſollemnia pro Rege recitabat, pro verbis *Regem*, *famulum Dei*, quia vitiata ab inuidis aemuliſque ſuis erat pagina, legiſſe, *Regem*, *mulum Dei*. Cachinnum ſuſtulerunt omnes. Nam hic ſacrorum adminiſtrator vitium liturae corrigere non nouerat.

m) In Tentamine Philol. Antiqu. Hafniae 1753 edito, 8. p. 4. 106. f. et in aliis locis.

n) Saxo lib. XI, p. 209.

PRAESTANTISSIMO ET NOBILISSIMO IVVENI

GEORGIO REIMER

DISSERTATIONIS HVIVS AVCTORI

S. D. P

IOHAN. BENEDICTVS CARPZOVIVS

Duo Tibi, Ornatiſſime REIMERE, *conſequenda propoſuiſti, et his partibus cum laude egregieque perfunctus es. Alterum, vt Dei inſtitutis pareres, et ſancte innocenterque viueres; alterum, vt doctrinae meliori Te dares totum, ac Theologiae et hiſtoriae patriae prudentiam amplectereris. In hoc laudis curriculo acriter et impigre proceſſiſti, et aliquot abhinc annis in Academia noſtra ſpatia tanta feciſti, vt nunc publice cum applauſu diſputares. Didiciſti eas literas, in quibus humanitatis et elegantiae ratio poſita eſt, nec vane credidiſti, non poſſe eum digne accedere ad Theologiam, qui ab illis ſe abſtinuiſſet. Quare quum Tibi auctor fuiſſem, vt ſub abitum Tuum ſpecimen honeſtae doctrinae dares, et decus illud Daniae,* Saxonem Grammaticum, *denuo excitares; digne, et ita egiſti partes has, vt hac Tua de aetate, aliiſque quae nunc ſunt rebus Tuis, plu-*

ra

ra deſiderare nemo poſſit. Laudo ac probo Tuam induſtriam, et vltro fateor, huius diligentiae et aſſiduitatis ſuos non eſſe defuturos applauſores. Scio, Te pleno gradu contendere, vt expectationi bonorum ſatis facias. Non ſatis autem facies tam, quam vinces expectationem. Id intellexi ex colloquiis ſingularibus, Tecum per integrum annum in diſciplina ſancta inſtitutis, vbi ſenſi, Te hac adoleſcentia a maturitate vel ſic quam proxime abeſſe. Non poſſum dubitare, quin coetui Chriſtiano ſpondeas aliquando Theologum eruditum et egregium, qui multos vbereſque fructus referre Cimbriae et poſſit, et conſtituta animi ſententia velit. Rogo Te atque obteſtor, vt in patriam redux, et munere honeſto ornatus olim, huius fidi Tui, Tuaque cauſſa omnia cupientis, amici et praeceptoris viuas memor. Ego certe non tenui gaudio ferar, ſi audiuero, Te virtutis, induſtriae, probitatis, animi erecti praemia larga reportare. Dab. Helmſtadii a. d. XXVII April. A. R. S. MDCCLXII.

EPISTOLAE GRATVLATORIAE.

VIRO PRAENOBILISSIMO
GEORGIO REIMERO
AVCTORI ET DEFENSORI HVIVS DISSERTATIONIS
DOCTISSIMO
AMICO SVO CARISSIMO
S. P. D.
IACOBVS HOELCKE
HOLSATVS.
IN HAC DISSERTAT. OPPONENS

Si ex inſigni ingenii magnitudine et aſſidua in litteris diligentia ad magnos in ſcientia quadam profectus concludere licet: non ſine maximo iure de TE, AMICE SVAVISSIME, *ingenio magno et induſtria mirifica praedito, exſpectare mihi licuit,* TE *non progreſſus modo in litteris facturum eximios, ſed publicos etiam doctrinae fructus mox eſſe prolaturum. Me in hac de* TE *concepta ſententia non erraſſe lae-*

tus

tus hodie experior: fructus enim publice profers doctrina et diligentia TVA *digniſſimos. Gratulor* TIBI *ex animo de hoc clariſſimo ingenii et eruditionis* TVAE *documento, quod omnibus, qui patriae noſtrae gloriam et honorem amant, erit acceptum exoptatumque. Laudes enim viri doctiſſimi et de patria noſtra bene promeriti celebras: laudes illius, qui ipſis illis temporibus, cum barbaries in toto fere terrarum orbe regnaret, doctiſſimos adhuc et elegantiorum litterarum valde peritos in ipſa plaga ſeptentrionali florere, ſuo exemplo ſatis ſuperque probauit. Patriae inde noſtrae ornamentum decuſque Saxonem optimo iure vocas, qui, ſi vel ſolus iis temporibus in Dania viguiſſet, eruditionis tamen et elegantiorum Muſarum in hoc regno tum excultarum teſtem praeſtaret luculentiſſimum.*

Laudandum eſt igitur hoc TVVM *conſilium, quod ex vera in patriam pietate cepiſti: gratulandum vero, quod hoc conſilio ſemel ſuſcepto tanto progreſſu tantaque dexteritate illud proſequutus ſis, vt omnium doctorum bonorumque virorum applauſum laudemque* TE TIBI *hoc doctrinae ſpecimine conciliaſſe, nemo dubitauerit. Perge in hoc laudabili litterarum curſu,* AMICE SVAVISSIME, *et viam* TIBI *ad veram et nunquam interrumpendam felicitatem pande ampliſſimam, et* TIBI *certiſſime perſuaſum habe, me fortunae et felicitatis* TVAE *eſſe amatorem admiratoremque ſinceriſſimum. Vale. Dab. Helmſtadii A. D. V. Calend. Maii A. R. S.* clɔ lɔ CCLXII.

VIRO PRAENOBILISSIMO ATQVE

DOCTISSIMO

GEORGIO REIMERO

DISSERTATIONIS AVCTORI ET DEFENSORI

AMICO INTER PAVCOS PERDILECTO

S. P. D.

ERNESTVS IACOBVS DANOVIVS

GEDANO BORVSSVS.

IN HAC DISSERTAT. OPPONENS

Finem ſic tandem ſatis ſplendidum imponis literarum ſtudiis, quae tanta hucuſque apud nos proſequutus es alacritate animique contentione. Sic, antequam academia hac, vberrima ingenii TVI *animi nutrice, diſcedis, ſpecimine declaras prope inuidendo, quisnam fuerit tantae ſolertiae, qua inclaruiſti, finis, quo operae illae non interruptae, quo vigiliae et lucubrationes illae omnes tetenderint, quas, qui* TE *norunt, neſcio teſtari magis queant, an vero admirari debeant. Quis legat commentationem hanc, tanta doctrinae copia refertam, quin indefeſſam* TVAM *veneretur induſtriam, cuius, etſi alia proſtarent nulla, ipſa certe documenta ſiſtit, quae vel inuitum in laudes* TVAS *trahant? Sed quis non eiuſdem libelli argumento edoctus, videat, patriae* TVAE *honore et gloria ſuperius* TIBI *nihil ab omni illo tempore fuiſſe, quo ſacra literarum adyta curſu tam ſtrenuo petiiſti? Macte, amciorum ſuauiſſime, eximia hac mentis* TVAE *virtute, egregia, inquam, hac animi, in patriam gratiſſimi indole. Laudem hanc* TIBI *vindicaſti, quam vtinam omnes primas in-*

ter laudes ſuas ponerent, dum immortalium meritorum virum patrio ſolo vindicaſti. Patriae igitur dum plaudis; haec TIBI *plaudit, plaudunt ciues, aequus quiſque plaudit rerum aeſtimator. Quidni plauderem ego, cui amicitiae* TVAE *frui hucdum licuit voluptate? Itaque grates admitte integerrimas pro commodo iſto, quem mihi dediſti, loco, hunc meum in* TE *adfectum publice enarrandi. Admittere vero eas eo poteris magis, quum neque in arenam ipſam tam aduerſandi animo, qui enim hic in amicum caderet? deſcenſurus ſim, quam potius vt ne caluam praetermiſiſſe videar occaſionem, qua exoptatior redire vix poteſt, quanti* TE *faciam; quantopere* TE *amem, quoue familiaritatis vinculo coniuncti nobis ſimus, ſolemni in concione teſtatum faciendi. Quo conſilio ductus, nihil iam dicam, quod ad excuſandam aduerſarii cauſam, ſi* TE *forte non digne ſatis eam egero, facere poſſet, nihil de ingenii mei mediocritate exponam, nihil de materiae, quam ventilandam proponis, grauitate, quin et ſingularitate, ſiquidem in ea plane hoſpes ſim, nihil eorum omnium, quae longius praefanda mihi omnino forent, ſi in accurato diſſertationis* TVAE *examine ſita eſſent officia ea, quibus exſolutum me maxime cupiam. Sic vero quum antagoniſtae perſonam non induam niſi vt leue aliquod mei in* TE *amoris monumentum conſtituam, quo quum omnis votorum meorum ſumma contineatur, nihil, quod addam, amplius habeo, praeter deuotas preces, iubeat* TE *Summum Praepotenſque Numen haſce in patriam meritorum primitias largiſſimis in poſterum adhuc adaugere incrementis, omnibusque propterea iis de die in diem magis magiſque* TE *inſtruat atque exornet virtutibus; quibus adiutus patriae de* TE *conceptae ſpei non ſatis facere ſed ſuperare eam queas. Tanto* TE *autem viri de patria optime meriti nomine fulgentem, ii, quorum eſt iuſta meritis ſtatuere praemia, patrocinio ſuo dignum habeant, honoreſque, ad quos non niſi* TIBI TVI*que ſimilibus adſpirare conuenit,* TIBI *decernant ampliſſimos. Quorum in faſtigio conſtitutus vt in antiquae noſtrae conſuetudinis nonnunquam redeas memoriam, et fauorem illum et abſenti ſanctum ſerues, quo commilitonem me complexus es, per omnia amicitiae iura* TE *rogo atque obteſtor. Vale. Dabam e muſeo A. D. V. Calend. Maii. A. R. S.* CIↃ IↃ CC L XII.

6/67
c/-/-

π^2 A-E^4 G-H^2 I^2

Send to
binding

DL 146 .7 S3R4

Reimer, Georgius
De vita

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 11 09 08 14 001 7